H. 1. 241 /5-6

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICE APOLOGETICA
VETERUM ECCLESIÆ PATRUM

ADVERSUS HÆRETICOS

JOANNEM DALLÆUM, ET JOANNEM CLERICUM,

alioſque Novatores

DISSERTATIONIBUS ADORNATA

A PATRE MAGITRO

PETRO THOMA SANTABARBARA

CARMELITA.

DISSERTATIO QUINTA ET SEXTA.



VENETIIS, MDCCLVIII.
TYPIS ANTONII BASSANESII AD S. CANTIANUM.
CUM FACULTATE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORUM,

QUÆ IN HAC CRITICE APOLOGETICA VETERUM ECCLESIÆ PATRUM CONTINENTUR.

LOCUS II.

DE Patrum Doctrina Proluſio. pag. 1

DISSERTATIO V.

De Patrum Linguis, Idiotiſmis, & Doctrinis haud obſcuris.

§. I. *Nonnulla obſervantur.* pag. 3.
§. II. *Dallæi opinatio affertur, & veterum, minuſque antiquorum criticorum judiciis convellitur.* pag. 4
§. III. *Ex his ratio conficitur.* pag. 7
§. IV. *Dallæi objecta diluuntur.* pag. 9
De obſcuritate Sacræ Scripturæ exponendæ Patrum interpretationibus. pag. 22
De latinis quorumdam Græcorum veterum verſionibus. pag. 28
De argumento, quo nonnulla Fidei myſteria, inter ſe comparantur. pag. 49
De Patrum arcanis. pag. 62
De nonnullis intelligendorum veterum regulis. pag. 76
De Patrum logice. pag. 89

DISSERTATIO VI.

De Probandorum Dogmatum Medio.

§. I. *Quædam veterum Animadverſiones excitantur ad arcenda Dallæi Commenta.* pag. 103
§. II. *Probandorum Orthodoxorum dogmatum medium adverſus Dallæum profertur, atque ex Veteribus oſtenditur.* pag. 147
§. III. *Ex iis argumentum accipitur.* pag. 149
§. *Ultimus, Dallæi oppoſitio diluitur.* pag. 150

CRI-

Digitized by Google

CRITICÆ APOLOGETICÆ

LOCUS II.

DE PATRUM DOCTRINA

PROLUSIO.

ETſi Theologum abundare oportet Catholicæ Fidei inſtitutis, Criticæque præceptis propter Patrum auctoritatem, quam non libri iis ſuppoſiti, ſed germana ipſorum opera faciunt: tamen eum ſcientia augere poſſunt iſti Doctores qui vel latinis, vel græcis litteris orthodoxa dogmata illuſtrant, vel ad utilitatem cum græcis latina perſpicue conjungunt, & Catholicis ita magnum afferunt adjumentum, ut non modo græcarum litterarum rudibus, verum etiam doctis ſuæ eruditionis vim, firmitudinem, & claritatem oſtendant.

Sed haſce res inficiatus Dallæus, atque in errore multum verſatus, exinde contendit, pleraque greca, ac latina Patrum vocabula, & documenta obſcuritate involvi: Patres ipſos in Dogmatum ſententiis non conſtare; neque adeo has eſſe medium ſufficiens ad illa probanda: nec denique Patrum auctoritatibus traditionem evinci: quam etiam errore Rivetus affectus negat, & Joannes Clericus inſequitur Platoniſmo, quod antiquiſſimis Patribus de Verbo Dei loquentibus temere appingit.

Ut igitur iſti errores evertantur, ad alterum, & ultimum hujuſce operis locum accedimus, quem Diſſertationibus quatuor inſtruemus; quarum in priore agemus de Patrum linguis, idiotiſmis, ac doctrina haud obſcura: qua in re nobis elaborandum eſt, ut ratiocinemus de Sacræ Scripturæ obſcuritate; de aliquot Patrum vocibus; de quorumdam Fidei myſteriorum comparatione; de Patrum ſilentio; de nonnullis horum intelligendorum regulis; ac tandem de ipſorum Dialectica.

Tum autem probandorum Fidei dogmatum medium ita proponemus, ut enucleatis nonnullis, quæ vel antea poſuimus, vel inſignes Theologi docuere, oſtendamus, ipſum medium e communibus, aut communioribus Patrum teſtificationibus, quibus antiquitas Eccleſiaſtica Fidem

dem præſtitit, ſumendum eſſe atque tenendum.

Exinde de notiſſima Fidei traditione, hujuſque notionibus; ac poſtremo de illo Platoniſmo commentitio diſſeremus.

Et quoniam harum diſceptationum argumenti tum reliqua omnia quæ Dallæus duos in libros de uſu Patrum diſtribuit, tum alia, quæ iis Clericus addidit, refutare conabor: idcirco hic ſuperiorum Diſſertationum ordinem ita tenebo, ut hujuſce operis Critici, quemadmodum id titulo ſignatur, finem faciam, Domino adjuvante.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

De Patrum Linguis, Idiotiſmis, & Doctrinis haud obſcuris.

CUm pluribus locis præclara veterum ingenia, & apertas ſanctorum Eccleſiæ Doctorum virtutes ſoleo mirari, tum maxime in his doctrinæ ſtudiis, quæ admodum expetita vel antiquiores Patres latini in Græciam, vel e Græcia in latinos orthodoxi veteres tranſtulerunt; quorum multi quoniam Eccleſiaſticorum Scriptorum ætatem, temporum deſcriptiones, Sacerdotum officia, ac præſertim ſacrorum dogmatum cauſas, & genera aperiunt: ſane ut Catholicam eorum doctrinam patentem eſſe oſtendamus: idcirco hanc Diſſertationem adverſus Dallæum, qui contrarium temere vult, inſtituimus.

§. I.

Nonnulla obſervantur.

CUm itaque Dallæus ea documenta, quæ Patres ſcriptis mandarunt, quibuſque orthodoxa dogmata evincuntur, obſcura eſſe generatim prætexat: jam adverſus hanc falſam ejus opinionem primum obſervamus, quod generalia Patrum inſtituta, & particularia argumenta, quibus illa vicerunt, eruditis comperta ſint, atque clara. Etenim antiqui Patres aut plura numina vel ab Ethnicis, vel ab Hæreticis conficta rejecerunt, & Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, tres quidem Perſonas diſtinctas, ſed unum Deum eſſe, monſtrarunt: aut crimina adverſus Chriſtianam religionem ficta diluerunt: aut alias hæreſes refutarunt: aut etiam plura certa de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Ordinis, ac reliquorum, quæ Apoſtolica Eccleſia credidit, docuerunt: quibus in rebus, ac cæteris dogmatibus tum generales veterum inſtitutiones, tum particulares argumentationes, quibus univerſalem ſcopum ſuum oſtenderunt, ſpectandæ ſunt, & inſpiciendi ii loci, quibus illas Gentilium calumnias, atque hæreticorum objecta exagitarunt: nihil enim in aliqua controverſia eluceſcit magis, quam quod ad oppoſitiones refellendas adhibetur. Quare & generalis veterum ſcopus, qui in eorum ſcriptis liquido apparet, & ſingularis quæque ratio, qua ille docetur, ita afferri debent, ut conſequentia vel particularia Patrum enuntiata a ſuis antecedentibus evellenda non ſint: ſecus iſtorum ſequeretur confuſio.

Hinc quamvis nonnulli antiquiſſimi Scriptores non paſſim in libris ſuis, ſed aliquoties quopiam verbo aut improprio, aut ſubobſcuro uſi fuerint: tamen id ex eorum ſcopo, ex particularibus argumentis, ex enuntiatis, ex connexis, exve aliis locis, in quibus res proprie, & clare tractantur, certe pateſcit.

§. II.

Dallæi opinatio affertur, & veterum, minuſque antiquorum criticorum judiciis convellitur.

EXinde Dallæus de ſolis latinis, & grecis Patribus, cum alterius linguæ Scriptores Eccleſiaſtici pauci ſint, ſermonem habens, audacter aſſeruit, „ non facile eſſe, Patrum (*a*) ſcripta intelligere tum „ propter linguas, & idiotiſmos, „ ac pleraſque voces, „ quibus utun„ tur, tum propter rerum explican„ darum obſcuritatem, & variis Rhe„ toricæ, ac Dialecticæ artificiis im„ peditam rationem.

Contra quam falſam opinionem nos dicimus, quod latinam, græcamque linguam, & Dialecticæ, ac Rhetoricæ jura, legeſve callentibus facile eſt intelligere latinorum, græcorumque Patrum conſcripta, linguas, idiotiſmos, argumentationes, quædam Rhetorica, & claram Catholicæ fidei doctrinam ab ipſis Patribus traditam, & ita defenſam, ut plerarumque vocum ab illis adhibitarum ſignificatio ad res ipſas, quas iidem orthodoxi veteres docent, referatur, eaſque declaret. Hanc aſſertionem quædam teſtimonia ante producta, & aliqua etiam nunc afferenda commonſtrant.

Certe S. Epiphanius Hæreticorum Valentinianorum audaciam antiquiorum Patrum ſcriptis ſic fregit: (*b*) *Nos autem partim iis, quæ a nobis breviter ſunt diſputata, partim quæ ab aliis id genus ſcriptoribus elucubrata ſunt, contenti; cum nonnullos quoque videamus de hoc argumento ſcripſiſſe, præſertim Clementem, Irenæum, & Hyppolythum, alioſque complures, qui admirabili quadam facultate illorum dogmata refutarunt: non multum in eo, ut dictum eſt, elaborare ſtuduimus, ſatis, ſuperque illorum opera factum arbitrati: idque ipſum apud nos exiſtimantes, neminem eſſe paululum intelligentem, cui vel ex ipſis illorum libris, ac dogmatibus non ea facile occurrant, quæ ad illos refellendos idonea ſunt.*

S. Hieronymus epiſtola ad Magnum Urbis Romæ oratorem Patrum eruditionem defendit hoc pacto: (*c*) *Quid loquar de Melitone Sardenſi Epiſcopo ..., & Irenæo ...! qui origines hæreſeon ſingularum, & ex quibus Philoſophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt . . . extant & Julii Africani libri . . . , & Athanaſii Alexandrini . . ., Titi quoque Boſtrenſis Epiſcopi, Cappadocumque Baſilii, Gregorii, Amphilochii: qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis, atque ſententiis ſuos refarciunt libros, ut neſcias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam ſcripturarum! Veniam ad latinos, quid Tertullianus eruditius, quid acutius? .. Cyprianus, quod idola Dii non ſint, qua brevitate, qua hiſtoriarum omnium*

(a) *Dall. lib. 1. de uſu Pat. cap. 5. pag 170.*
(b) *S. Epiph. hæreſ 31. n. 23. pag. 205. Tom. 1.*
(c) *S. Hier. epiſt. 70. pag 426. Tom. 1.*

nium ſcientia, quarum verborum, & ſenſuum ſplendore perſtringis. Hilarius meorum Confeſſor temporum, & Epiſcopus, duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatus eſt & numero: brevique libello, quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, quid in litteris poſſit, oſtendit. Juvencus Præsbiter ſub Conſtantino hiſtoriam Nominis Salvatoris verſibus explicavit, nec pertimuit Evangelii majeſtatem ſub metri leges mittere. De cæteris vel mortuis, vel viventibus taceo, quorum in ſcriptis ſuis & vires manifeſtæ ſunt & voluntas.

S. Auguſtinus Juliano Pelagiano plures Patrum (a) auctoritates, quas antea adduximus, objecit, deque ſingulis illis veteribus dixit, quod (b) „ Irenæus, & Cyprianus, & Reticius, & Olympius, & Hilarius, & Gregorius, & Baſilius, & Ambroſius, & Joannes .... tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem ..., quam contra inimicos etiam vos nondum natos, unde nunc revelamini, apertiſſime, ac fortiſſime defenderunt.

Marcianus Imperator de Patrum doctrinis, ac teſtimoniis, quæ contra Eutychianos Chalcedonenſe Concilium attulerat, ita locutus eſt: (c) „ Neque enim quemlibet ita ſimpliciorem credimus, ut legentes tantas Doctrinas ſic clares pronuntiantes Fidem orthodoxam, habentus in errore permaneat.

Photius de S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini conſcriptis ſic agit: (d) *Lectæ Athanaſii Epiſtolæ variæ, quas inter, & de ejus ſeceſſu tanquam Apologia, collocantur nonnullæ: eleganter ſimul & ſplendide, clareque compoſitæ, perſuadendi inſuper vi, ac venuſtate floridæ, ut jucundum ſit, quam ibi Apologiam* ſcribit, *audire.* (e) *Legi magni Athanaſii* in Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum commentarium. *Dilucide dicit, ut in omnibus ſuis ſcriptis. Earum tamen epiſtolarum gratiam, & venuſtatem, quibus ſeceſſum excuſat ſuum, quæque ad exilium pertinent, exponit, neque hic liber, neque alius ejus, qui quidem in meas inciderit manus,* ἀφαιρεῖται *ſæpe fert. Lecti ſunt ejuſdem Sancti (f) Viri contra Arium, ejuſque dogmata libri quinque. Hujus dictio perſpicua, ut & in cæteris ejus omnibus, ſobria item & candida, vehemenſque, ac profunda, & argumenta valide torquens: ejus vero ubertas in his, ac fœcunditas admodum ſane fuit mirabilis. Dialecticis adhæc uſus eſt argumentis, non illis nude propoſitis, & ipſiſmet ex arte petitis vocibus, quod pueri, recentioreſque diſcipuli, juveniliter ſeſe, ac glorioſe oſtentantes ſolent; verum Philoſophorum more, magnifice prolatis, ac per nudas dumtaxat notiones, & has quidem bene ornatas. Sacræ quoque Scripturæ teſtimoniis, ac demonſtrationibus valide communitur: &, ut uno verbo abſolvam, ſolus hic liber ad Arianiſmum univerſum refellendum ſufficere queat. Immo qui Gregorium Theologum, ſanctumque Baſilium dixerit, ex hoc tanquam fonte hauſtos egregios illos, & limpidos librorum ſuorum rivos contra eundem errorem profudiſſe, ſane a ſcopo minime aberrarit.*

Hic

(a) *Vide priorem Diſſertationem.*
(b) S. *Aug. lib.* 2. *cont. Julian. cap.* 10. *n.* 37. *pag.* 551. T. x.
(c) *Marcian. Imper. in Epiſt. ad Mon. Alex.* To. 5 *Concil. Labb.*
(d) *Phot. in Bibl.* Cod. 32.
(e) *ibid.* Cod. 139.
(f) Cod. 140.

Hic etiam Photius de S. Baſilio Magno dicit : (*a*) *Legimus Beatum Baſilium* in opus ſex dierum , ſeu de mundi fabrica . *Præſtantiſſimus eſt in libris omnibus : plura enim dictione ſignificante, propria, & omnino civili, ac panegyrica, ſi quis alius, uti novit: ſenſuumque ordine, ac puritate primus, & nemini ſecundus apparet. Jam perſuadendi quoque vim, ac jucunditatem cum perſpicuitate amat.*

Idem Criticus de S. Gregorio Nyſſeno hæc ſcribit : *Lectus eſt* Gregorii Nyſſeni Epiſcopi (*b*) *ſimiliter* pro Baſilio adverſus Eunomium liber ſextus. *illi, ſi quis Rhetorum illuſtris, & jucunditatem auribus inſtillans. Sed nec ipſe quidem ordine Eunomii ſcriptum reprehendit. Quamobrem & Theodoro conciſior eſt, & Sophronio latior. Abundat enim enthymematis, atque exemplis : illud autem vere pronuntiaverim, quantum Gregorius venuſtate, ſplendore, & mirifica jucunditate antecellit Theodoro, tantum etiam argumentorum copia, & ubertate eundem vincere connititur.* (c) *Lectum eſt alterum ejuſdem Gregorii Nyſſeni opus de eadem ipſa re : in quo rationibus validioribus cum Eunomio manus conſerens, cum vi expugnat, omnia impietatis fundamenta labefactans. Venuſtas vero orationis & ſplendor jucunditate mixtus, etiam in hoc opere decenter ſe oſtendit.*

Scriptor idem S. Joannis Chryſoſtomi opera ita pertractat: (*d*) „ Legimus Chryſoſtomi in Geneſim Homilias unam & ſexaginta in tria diſtributa Volumina ... concionatus eſt deinceps de S. Cruce; hinc de proditione Judæ, atque ita ordine, prout feſti dies, ſive argumenta inciderunt, homiliæ quoque aptatæ ſunt. Jam poſt Reſurrectionis homilias, in Apoſtolorum acta continenter verba fecit, quemadmodum ipſe octavam ſupra viceſimam, quæ ſequitur, in Geneſim Orationem auſpicatus oſtendit, quam, ut apparet, cum reliquis hujus argumenti longo poſt tempore habuit: quinquaginta enim illis in Acta homiliis recitandis unum ferme annum inſumpſit, cum non quotidie unam, ſed quinto tantum, aut ſeptimo die, & aliquando rarius etiam eas recitarit : & quidem, ut ipſemet tradit, cum tertium jam annum præſul eſſet. Quas vero in Geneſim ſcripſit, quo ſunt tempore habitæ, non potui cognoſcere tantum ſi illas a ſe habitas homilias ſermone illo XXVIII. meminit, quas tertio Epiſcopatus anno compoſuit: neque de aliis, quam in Acta ſcriptis ibi mentionem facit, quod equidem hactenus non potui deprehendere: Præſul nimirum cum eſſet, etiam has contexuerit: viginti quidem & ſeptem ſecundi anni Quadrageſima, cæteras dein triginta quatuor, anno quarto. Dictio hic illius de more perſpicua, & pura, ſplendida inſuper, ac fluens apparet, multam interim cum ſenſuum varietatem, tum gratiſſimorum exemplorum copiam exhibens. „

Tum Photius ipſe de quibuſdam S. Cyrilli Alexandrini ſcriptis hæc docet : (*e*) *Lectus eſt* B. Cyrillus Alexan-

(a) *Phot. ib. Cod.* 141.
(b) *Phot. Cod.* 6.
(c) *Cod.* 7.
(d) *Phot. Cod.* 174.
(e) *Phot. Cod.* 49.

xandriæ Epiſcopus adverſus Neſtorii blaſphemias libris quinque. „ Servat „ in his quoque ſuum dicendi chara- „ ćterem, & ſermonis proprietatem. „ Clarior vero eſt, quam ad Hermiam „ ſcribens. „ Et poſtea itidem ait: (a) *leguntur* Cyrilli theſauri. „ Epiche- „ rematis refertus eſt liber, pugnat- „ que valide, ac varie cum Arii, & „ Eunomii furibunda rabie. Etenim „ & logicis argumentis ſapienter il- „ lorum deſtruit amentiam: quibus „ cum S. Scripturæ adnećtit, adte- „ xitque teſtimonia; quam ſit illa do- „ ćtrina futilis, omni ex parte divul- „ gat. Adhibet nuda quoque S. Scri- „ pturæ teſtimonia, ut quo ſe faſtuoſi „ vertant, obſepti undique, atque „ concluſi non habeant. Eſt autem „ inter omnia ejus ſcripta liber hic „ maxime perſpicuus, iis potiſſimum, „ qui logicorum argumentorum ſen- „ ſum capere poſſunt. „

Demum de Theodoreto ita loquitur: *lećta eſt* Theodoreti hiſtoria Eccleſiaſtica. *Omnium, quos proxime nominavi, convenientem magis hiſtoriæ ſtylum adhibet. Clarus enim & grandis eſt, minimeque redundans: niſi quod translationibus* interdum παράβολως *confidenter, & pene* παρακόλως coaćte utatur.

§. III.

Ex his ratio conficitur.

Iſtæ perſpicuæ antiquorum Patrum, aliorumque Criticorum, qui poſt illos floruerunt, ſententiæ adverſantur opinationibus Dallæi, atque commentis, eaque delent. At ſi quis eſt talis, quales eſſe quidam videntur, qui in hoc ipſo, in quo illæ veterum Orationes exultant, me vehementer accuſet, quod aliquas eorum aućtoritates rurſum adduxerim: non eſt iſta mea culpa, ſed temporis. Nunc enim Dallæum iterum oppugnatum eſſe oportebat: idque a me & mos Theologorum, & hujus operis inſtitutum, & fides Catholica poſtulabat. Nam cum perſpicerem, ne Eruditis quidem omnibus re etiam probata, ſi modo eaſdem aućtoritates ſilentio præteriiſſem, fore, ut ipſum cenſorem opportune perſequi haud poſſem: rem huc deduxi, ut tum falſa Dallæi opinio convelleretur, cum hic doćtiorum Patrum, & Criticorum judicio reprobaretur.

Quod quidem judicium tanta firmitate S. Epiphanius dixerit in illo cenſore exturbando, ut contra eundem, qui *Patrum ſcripta facile haud intelligi* effutit, apertiſſime dixerit, quod ex *Scriptorum* Valentinianos exagitantium *libris*, ac *dogmatibus* vel *paululum intelligenti facile occurrant ea*, quæ *ad illos* hæreticos *refellendos idonea ſunt*. Proinde *dogmata*, quæ Patres tradunt, quibuſque Hæretici refelluntur, *facile* in ipſorum *libris occurrunt*, & intelliguntur.

Hinc ſecundum S. Hieronymum *S. Irenæus hæreſum origines explicavit: S. Cyprianus verborum, & ſenſuum ſplendore fulſit:* S. Hilarius, *quid litteris poſſet, oſtendit:* Juvencus *verſibus Salvatoris hiſtoriam explicuit: ac cæterorum in Scriptis & vires manifeſtæ ſunt, & voluntas, ſeu ſcopus*. Itidem S. Auguſtinus prædicat, quod *SS. Irenæus, Cyprianus, Baſilius, Gregorius, Ambroſius, & Joannes Chryſoſtomus catholicam fidem apertiſſime defen-*

(a) *Cod.* 136.

defenderunt. Præterea Marcianus Imperator docet, Patrum *doctrinis orthodoxam fidem clare pronuntiari*. Non igitur obſcuri linguarum idiotiſmi; non obſcuræ pleræque voces; non rerum explicandarum obſcuritates; non Dialecticæ, ac Rhetoricæ artificiis impeditæ rationes in veterum libris apparent; quia in iis & *verborum*, adeoque idiomatum, atque eloquentiæ, & *ſenſuum*, atque adeo rerum enodandarum *ſplendor*; & res ipſæ *explicatæ*, ac ſic declaratæ multæ earum voces; & *vires*, atque adeo rationes ſunt *manifeſtæ*; quibus latini, & græci Patres *apertiſſime defenderunt Catholicam fidem*. Quid clarius Dallæum refellit, quam & *clara* iſthæc *doctrina*, & *orthodoxa fides* a Patribus *aperte defenſa*? Quis etiam manifeſtius Dallæum ipſum oppugnat, quam Photius? qui æqua criſi confirmat, S. Athanaſium in *omnibus ſcriptis ſuis eleganter, clare, & dilucide dicere;* ac præcipue in *libris* contra *Arii* hæreſim compoſitis *uſum* eſſe *dictione perſpicua*, *Sacræ Scripturæ teſtimoniis*, *validis argumentis Dialecticis*, *& vocibus non ex arte juveniliter petitis*, *ſed prolatis per nudas dumtaxat notiones, & bene ornatas*. Ex quo S. Athanaſii opere *tanquam ex fonte S. Gregorius Nanzianzenus*, *& S. Baſilius egregios ſuos*, *ac limpidos libros contra eundem errorem conſcriptos hauſerunt*. *Atque etiam Baſilius præſtantiſſimus eſt in libris omnibus*, *ac plura dictione ſignificante & panegyrica utens*, *perſpicuitatem amat*. Cujus Frater S. Gregorius *Nyſſæ Epiſopus*, *ac Rhetorum illuſtris*, *in libris contra Eunomium exaratis abundat argumentorum copia*, *validioribus rationibus*, *& orationis venuſtate*, *atque ſplendore*. Tum quoque in S. Joannis Chryſoſtomi *homiliis*, *atque ſermonibus dictio perſpicua*, *pura*, *ſplendida*, *& fluens apparet*, *multam cum ſenſuum varietatem*, *tum exemplorum copiam exhibens*. Ac S. Cyrillus Alexandrinus in Libris *adverſus Neſtorii blaſphemias clarior eſt*, *quam ad Hermiam ſcribens:* atque etiam adverſus *Arii*, *& Eunomii rabiem in Theſaurorum libro logica argumenta*, *& S. Scripturæ teſtimonia adhibet*; *qui liber eſt maxime perſpicuus*. *Tandem Theodoreti ſtylus in hiſtoria Eccleſiaſtica clarus*, *& grandis eſt*, *minimeque redundans;* ac proinde ſcriptor iſte ut quædam *clare* deſcribat, *interdum translationibus confidenter*, ſive animoſe, & *fere coacte*, ſive quaſi neceſſario *utitur*.

Hæ bonæ Photii rationes Dallæum ipſum, qui ad inveſtigandam illius Criticen minime oculos adhibuit, omnino ſubvertunt. Quamvis enim concedamus, aliqua in nonnullis paucorum veterum ſcriptis dumtaxat ſubobſcura videri; tamen falſiſſimum eſt, & pleraſque complurium Patrum voces, ac notiones, quibus præcipue res fidei tractant, obſcuras eſſe, & ipſorum rationes variis logicæ, & Rhetoricæ artificiis impeditas. Nam Patres ipſi „ plura dictione ſignificante, eleganti, & clara utuntur; perſpicuitatem amant, atque abundant orationis venuſtate, ac ſplendore „ dum vel S. Scripturas exponunt, vel „ errores validis Dialecticæ argumentis, validioribus rationibus „ & ita nullo modo impeditis depellunt. Plerique igitur Patrum idiotiſmi, pleræque dictiones, pleræque voces, pleræque res iſtis ſignificatæ, pleraque argumenta, pleraque fidei dogmata ex logica, & Rhetorica, ex litteris ſacris, exque Eccleſiæ Catholicæ traditione & *ornate* exponuntur & *clare*.

§. IV.

§. IV.

Dallæi objecta diluuntur.

QUas veterum auctoritates Dallæus
adducit, & incaſſum obtendit:
illæ hic afferendæ ſunt, ſuperva-
caneis iſtius verbis dimiſſis; qui ita
fatur „ Partium altera (*a*) S. Scriptu-
„ ræ, ut ei definiendæ litis jus eri-
„ piat, obſcuritatem objicit, merito
„ negans, explicandis, ac dirimen-
„ dis hiſce controverſiis idoneos eſſe
„ libros obſcure ſcriptos. Ego vero
„ haud ſcio, annon de pleriſque ve-
„ teris Eccleſiæ ſcriptoribus merito
„ id uſurpari poſſit, quod Hierony-
„ mus (*b*) de quorundam in S. Scri-
„ pturam commentariis dixit, *pleriſ-*
„ *que nimium diſertis accidere*, *ut*
„ *major ſit intelligentiæ difficultas in*
„ *eorum explanationibus*, *quam in iis*,
„ *quæ explanare conantur*, id eſt, com-
„ mentarios illos eſſe textu S. Scri-
„ pturæ intellectu difficiliores. Nam
„ ad veterum libros probe intelligen-
„ dos imprimis neceſſaria eſt lingua-
„ rum, quibus plerique ſcripti ſunt,
„ græcæ ſcilicet, ac latinæ, accura-
„ ta cognitio. Scio pleroſque inter-
„ pretibus ſive latinis, ſive vernacu-
„ lis fidem habere, immo & eo ven
„ tum eſſe, ut nonnulli non dubita-
„ rint de Patribus Græcis, nulla græ-
„ cæ linguæ ſolida cognitione inſtru-
„ cti, judicare; quod magnæ fuiſſe
„ temeritatis nemo inficiabitur. Res
„ ipſa per ſe ſatis docet, penitus in-
„ troſpiciendam ſcriptoris mentem,
„ maxime in rebus magni momen-
„ ti, quantum conducat ejus linguam,
„ phraſes, vocabula, connexioniſque
„ ipſorum inter ſe rationem ad un-
„ guem callere, cum quælibet lin-
„ gua habeat neſcio quam vim ſigni-
„ ficandi ſingularem, & quaſi inna-
„ tam; quam nemo, quantumvis eru-
„ ditus, diſertus, ac fidus ſit, aſſe-
„ quitur, ut interpretando non de-
„ ferat, ac diluat. Sed quod utile eſt
„ in omnibus aliis argumentis; in
„ hoc neceſſarium evaſit: adeo exi-
„ gua ſeu eruditione, ſeu fide inſtru-
„ cti, ad hoc opus ſe accinxere ple-
„ rique ſive veteres, ſive recentiores
„ Patrum interpretes. „

„ De Ruffini fide ſupra jam dixi
„ quam ſit autem periculoſum ejus
„ interpretationi credere, vel hoc e-
„ xemplo diſce. Ille in Eccleſiaſtica
„ Euſebii (*c*) hiſtoria martyres Lug-
„ dunenſes ita apud Paganos loqui
„ facit, ad pugnandum Thyeſtæarum
„ Epularum crimen: *multum erratis*
„ *o viri*, *putantes humanis viſceribus*
„ *veſci eos*, *qui ne mutorum quidem*
„ *animalium carnibus utuntur*. Pame-
„ lius ardentiſſimus latinarum tradi-
„ tionum admirator hæc verba arri-
„ puit, & ex iis conficit, jam ætate
„ Irenæi uſitatum fuiſſe in Galliis apud
„ Chriſtianos a carnibus abſtinere,
„ hodierno ſcilicet Romanorum ri-
„ tu. Atqui de *carnibus* nihil apud
„ Euſebium hiſtoriæ authorem legi-
„ tur: longe alia hæc leguntur: „
πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι οἷς μη-
δὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἔξον:
quomodo hi infantes comederent, *qui-*
bus ne mutorum quidem animalium
ſanguinem guſtare licet. „ Nempe ex
„ Apoſtolico decreto Chriſtiani tum
„ ab eſu ſanguinis, *& ſuffocati ab-*
„ *ſtinebant*. Hieronymus Ruffino vir
„ fuit

Diſſert. V. B

(a) *Dall. lib. 1. de uſu Pat. cap. v. pag. 120. & ſeq.*

(b) *Hier. epiſt. ad Cypr.*

(c) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. v. ex verſ. Ruf.*

„ fuit (fateor) haud paulo doctior
„ interpres , neſcio an fidelior , ac
„ religioſior . Anaſtaſius , qui ante
„ 800. annos vixit , qualiter ſe geſ-
„ ſerit in Synodi VII. interpretatio-
„ ne, non ita pridem monuit: ta-
„ men præfatione ad VII. Synodum
„ extra omnem dubitationis aleam
„ ponit , nihil in ſua editione non
„ verum, non certum; falſum con-
„ tra, & ſuppoſititium quicquid apud
„ Græcos vel ſuperat, vel deſit. Si
„ reliqui interpretes ea eſſent fide,
„ quam iſte ſibi arrogat, facile Græ-
„ cis codicibus carere poſſemus , &
„ æquo animo ferre pinguem illam
„ latinitatem, qua iſte in ſua verſio-
„ ne uſus eſt , ſed neque fidem in
„ his , quæ de ſe prædicat, ab om-
„ nibus impetravit, neque ſi is eſ-
„ ſet, qui vult haberi , hoc eſt, ſi
„ ſi ipſi archetypo præſtaret ; eodem
„ quoque loco , ac numero cæteri
„ interpretes cenſeri poſſent , maxi-
„ me recentiores ; primo. diverſus
„ ipſarum linguarum genius, etiam
„ ubi abeſt partium ſtudium, efficit
„ tamen, ut apud interpretem non-
„ nulla interdum occurrant ambi-
„ gue dicta, quæ plane, ac ſine ul-
„ la ambiguitate auctor ſcripſerat :
„ cujus generis memorabile dabo e-
„ xemplum. Athanaſii interpres quen-
„ dam , ejus ex libro de Synodis
„ Arimini , & Seleuciæ locum ſic
„ tradit : (*a*) *Duo Dionyſii ante eos*
„ *ſeptuaginta fuere , qui Samoſaten-*
„ *ſem ſuſtulerunt , quorum alter Ro-*
„ *mæ, alter Alexandriæ Præſulerat.*
„ Baronius aliqua horum verborum
„ ambiguitate deceptus ſcribit , te-
„ ſtari Athanaſium , (*b*) *a duobus*
„ *Dionyſiis , Romano , & Alexandri-*
„ *no, ſublatum fuiſſe Paulum Samo-*
„ *ſatenum*. Unum hoc dico, ſi Atha-
„ naſium græce legiſſet, clare ani-
„ madverſurum eum fuiſſe , non a
„ duobus Dionyſiis ,. ſed a ſeptua-
„ ginta illis Epiſcopis ſublatum me-
„ morari ab Athanaſio Paulum. Sic
„ enim græca citra ullam ambigui-
„ tatem habent: „ *Διονύσιοι γὰρ δύο
γεγόνασιν ἔμπροσθεν πολὺ δι' ἑβδομήκον-
τα τὸ καθελόντων Σαμοσατέα, τούτων ὁ μὲν
τῆς Ῥώμης ὁ δὲ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν Ἐπί-
σκοπος.* „ Quod vero idem Annaliſta
„ in alia parte operis, (*c*) quæ Euſe-
„ bius de Chriſtiana quadam nobi-
„ li , & Alexandrina muliere ſcripſerat,
„ Maximinum illam „ *φυγῇ ζημιοῦται ;*
ea perinde accipit, ac ſi dixiſſet au-
ctor, eam (*d*) *fuga* „ ex urbe Alexan-
„ dria, & ex Ægypto elapſam eſſe :
„ hoc inquam , non interpretis, ſed
„ ipſius Baronii peccatum eſt teme-
„ re ſtudentis, quæ de illa muliere
„ a veris hiſtoricis traduntur, ea ad
„ Catherinam ſuam accomodare. De-
„ ſcriptus enim ab ipſo Euſebii in-
„ terpres diſerte habet , eam *fuga*
„ *multatam* & omnibus *facultatibus* a
„ Maximino.

„ Sed præter ipſam linguarum di-
„ verſitatem, ex interpretum animo
„ plerumque etiam oriuntur magnæ
„ verſionum a ſuis fontibus diſcre-
„ pantiæ, ſi cui animus eſt pericu-
„ lum facere, conferat Præfationem
„ græcam Origenis in libros contra
„ Celſum cum interpretatione cu-
„ juſdam Chriſtophori: percurrat ex
„ libro quinto hunc locum pro in-
„ vocatione Sanctorum : *Vota , &*
„ *preces omnes, & gratiarum inſuper*
„ *actio-*

(a) *Athan. Tom. 1.*
(b) *Bar. ad an. 163. §. 11.*

(c) *Bar. ad an. 307.*
(d) *Euſ. lib. 8. cap. 15.*

„ *actiones ad Deum ſunt per Angelum tranſmittendæ, qui per Pontificem, & vivens verbum & Deum angelis præfectus eſt* videtur velle „ Chriſtum Angelorum quempiam „ conſtituiſſe, qui preces noſtras excipiat, & per quem vota noſtra „ ad Deum deferantur: At nihil „ tale Origenes, ſed prorſus contra „ *omnem precationem, omne votum, omnem orationem, & gratiarum actionem mitti oportet ad Deum, qui eſt ſuper omnia, per ſummum Sacerdotem, qui eſt verbum vivens, & Deus ſupra omnes Angelos.* „ Nec diſſimilis eſt ratio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ „ Joannis Chriſtophorſoni. Oſtendit „ enim variis in locis præter auctorum, quos interpretatur, mentem „ vehemens in interprete partium „ ſtudium. Exempli gratia: ille Clementem Alexandrinum quodam „ apud Euſebium loco hæc loquentem inducit „ (*a*) *Epiſcopus adoleſcentulum* &c. *ad extremum baptiſmi Sacramento illuminavit, poſtea ſigillo Domini*, *ideſt*, *Sacramentum Confirmationis, tanquam perfecta, tutaque ejus animi cuſtodia obſignavit.* „ Hæc ipſius ſunt, Euſebii non ſunt, „ non ſunt Clementis, cujus græca „ ita habent: „ Ο δὲ Πρεσβύτερος τὸν *νεανίσκον τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας, καὶ παραφυλακῆς ὡς τὸ τέλειον φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου.* *Sigillum Domini* „ adoleſcenti adhibitum „ fuiſſe dicit a Præsbytero, qui ipſum „ baptizavit: „ *Sigillum Domini eſſe Sacramentum Confirmationis* „ non „ dicit; immo id *Dominicum ſigillum* „ non Chriſma, ſed illum ipſum fuiſſe „ baptiſmum, quo tinctus fuerat, „ adoleſcens, perſpicue ſignificat, „ ut vident, qui græce ſciunt, neque aliter cæperat Ruffinus, „ *tum vero*, inquit, *Præsbyter adoleſcentem ſuſcepit &c. & ad ultimum etiam baptiſmi gratiam tradidit. Poſt hæc veluti confidens gratiæ, qua fuerat communitus, paulo indulgentius juvenem habere cæpit.* „ Aliud ejuſdem Chri„ ſtophorſoni. Eccleſia Smyrnenſis „ de Paganis verba faciens „ (*b*) *illud quidem*, inquit, *miſeri penitus ignorabunt, nimirum nos non aliquando in animum poſſe inducere, ut Chriſtum deſeramus, qui pro ſalute omnium, qui in toto Mundo ſalvi ſint futuri, crucis tormenta perpeſſus ſit, vel alium quempiam aliquando colamus, ut Deum. Illum enim, qui vere Dei filius eſt, adoramus. Martyres autem ut diſcipulos, & imitatores Domini propter incredibilem benevolentiam, quam in proprium Regem, & magiſtram declaraverunt, merito amplexamur.* „ Hæc Chriſtophorſonus, „ eo ipſo, quod negat quempiam a „ Chriſtianis, *ut Deum coli*, innuens „ *coli* aliquos *religioſe tametſi non ut* „ *Deum*. At veteres illi Smyrnenſes „ ſimpliciter negant, fieri poſſe, ut „ alium præter Chriſtum colant: „ Martyres vero a ſe *amari* profi„ tentur: „ Ἀγνοοῦντες ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα . . . οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν· τοῦτον μὲν υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως. „ Idem alibi Ire„ næum de Paſchali jejunio reddens „ (*c*) *quidam namque ſe unum diem jeiunare oportere exiſtimant, alii duos*

(a) *Euſeb. lib. 3. c. 17.*
(b) *Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap 14.*
(c) *Euſ. lib. v. Hiſt. Eccl. cap. 24.*

non pauci plures , multi quadragin-
ta . ,, Greca nihil hujuſmodi tin-
,, niunt, ſed ſignificant, fuiſſe , qui
,, diem eſurialem horis quadraginta
,, diurnis, nocturniſque metirentur : ,,
ὅς μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν
αὐτὸς νης ευειν , οἱ δὲ δύο ϗ πλείονας
οἱ γαρ τεσσαρακον τας ωρας ἡμερινας ,
ϗ νυκτερινας συμμετροῦσι τὴν ἡμεραν
αὐτῶν : ,, eſt & hoc Chriſtophorſo-
,, ni . Sozomenus de Liberio Epiſcopo
,, Romano ſcribit , quod eum Con-
,, ſtantius Auguſtus ,, (*a*) ἐβιάζετο
ὁμολογῶ μὴ εἶνε τῷ Πατρὶ τὸν ὁμοούσ-
ιον , ,, id eſt , *quod eum compule-*
,, *rit confiteri non eſſe Filium Pa-*
,, *tri conſubſtantialem*; & paucis in-
,, terjectis , quod eum Baſilius, &
,, Euſtathius ,. & Eleuſius Principes
,, Arianorum Epiſcopi Παρασκευάζου-
,, σι συναινεῖς ἐν ſuo cuidam de fide
,, male ſano libello ; quæ verba ſi-
,, gnificant, eos *effeciſſe*, ut liberius
,, huic ſuo libello *conſentiret*. Chri-
,, ſtophorſonus in interpretatione So-
,, zomeni ſua , ut hanc a Pontifice
,, labem amoliretur , verba ſui au-
,, ctoris ſic reddidit ; Conſtantius
,, *compellere tentavit eum fateri*, *Fi-*
,, *lium non eſſe Patri conſubſtantia-*
,, *lem :* Sic quoque mox de Epiſco-
,, pis Arianis *; Conantur* , *ut Liberius*
,, *huic* (libello) *conſentiret* . Simile
,, ſtudium Joannem Porteſium tranſ-
,, verſum egit , dum quæ Euſebius
,, de ædificato , & exornato a Con-
,, ſtantino(*b*)templo Hieroſolymitano
,, ſcribit , ita interpretatus eſt *: ſed*
,, *huc acceſſit aurearum imaginum*, *ar-*
,, *gentearumque vis infinita* . Euſe-
,, bius nihil habet de imaginibus .
,, Ædem *donariis aureis*, *argenteiſque*
,, *lapilliſque exornatam* fuiſſe dicit :
,, *imaginem* ulla in ea fuiſſe nullus
,, dicit : ,, κόσμει δ' αὐτὸν ἀδιηγήτοις
κάλλεσι πλείστων ὅσων ἀναθημάτων χρυσοῦ
ϗ ἀργύρου , ϗ λιθῶν Πολυτελῶν ὃν διαλλατ-
τούσαις ὕλαις , ἀναθήματα ,, non ſunt
,, imagines , ſed donaria . Lucas de
,, Judaico Hieroſolymorum templo, in
,, quo ex Moſis diſciplina nullas fuiſse
,, imagines certum , atque confeſſum
,, eſt (*c*) λίθοις, inquit , καλοῖς , ϗ
,, ἀναθήμασι κεκόσμηται, id eſt, ut ha-
,, bet vetus interpres latinus *bonis*
,, *lapididibus*, & non *imaginibus* , ſed
,, *donis ornatum* erat . Bellarminus
,, inter cætera , quæ pro auriculari
,, confeſſione adducit , hæc ex Gre-
,, gorii Nyſſeni epiſtola ad Letojum
,, deſcribit : " *recte habueris* , *ſi ho-*
dierno die non ſolum eos , *qui ex re-*
generatione per lavacri gratiam tranſ-
mutati ſunt , *adducamus* , *ſed eos et-*
iam , *qui per pænitentiam* , *&* *Con-*
feſſionem , *a mortuis operibus ad vi-*
ventem viam aſcendunt , *ad viventem*
ſpem tanquam manu deducamus . Hæc
latine apud Bellarminum. Græca au-
ctoris nihil habent de *Confeſſione* ,
cujus vocabulum interpres dolo pro
Επιστροφῆ *Converſione* ſubſtituit . ἀλ-
λακτοῖς διὰ τῆς μετανοίας τε ϗ ἐπιστροφῆς
ἀπὸ τῶν νεκρῶν οἷς τὴν ζῶσαν Ὁδὸν Πά-
λιν ἐπανιόντας *ſed eos etiam* , *qui per pæ-*
nitentiam , *&* *controverſionem a mortuis*
operibus ad viventem viam aſcendunt :
,, ut habet Nyſſeni editio noviſſima
,, Pariſienſis . Pejor etiam fuit qui-
,, dam . Is enim hæc (*d*) Auguſtini
,, laudans , " *colimus ergo Martyres*
eo cultu dilectionis , *&* *ſocietatis* , *quo*
in hac vita *coluntur Sancti homines*
Dei , *quorum cor ad talem* pro Evan-
ge-

(a) *Sozom. lib. 4. Hiſt. c. 17.*
(b) *Euſ. de vita conſt. lib. 3.*

(c) *Luc. 11. 5.*
(c) *S. Aug. lib. cont. Fau. c. 21.*

gelica *veritate paſſionem paratum eſ-*
ſe cenſemus: „ Hæc, inquam, fran-
„ cice interpretans, *& in hac vita*,
„ omiſit; quæ tamen ſingularem hoc
„ loco vim habent. Illud vero quis
„ ferat, quod pro *Dilectione*, quam
„ Martyribus exhiberi ait Auguſti-
„ nus, hic noſter interpres *Devotio-*
„ *nem* poſuit, quæ lingua francica
„ cultum religioſum ſonat? Sed om-
„ nium impudentiam longe ſupe-
„ ravit Franciſci Veroni temeri-
„ tas. Is enim in nova novi fœderis
„ interpretatione Francica cum ad
„ caput Actuum Apoſtolicorum per-
„ veniſſet, quo loco hæc Lucæ ver-
„ ba leguntur, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν
„ τῷ Κυρίῳ, id eſt, ut habet latina
„ vulgaris editio, (*a*) *miniſtrantibus*
„ *autem illis Domino*: Pro his ſua
„ reponere non dubitavit: id eſt, ſi
„ quis hæc latine deſideret, *Miſſam*
„ *autem illis Domino dicentibus*: Su-
„ me in manus Theodoretum, ubi de
„ Euchariſtia agens, inquit, " (*b*)
Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστι-
κὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως
μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ
σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους; *neque enim ſym-*
bola myſtica poſt Sanctificationem re-
cedunt a ſua natura; manent enim in prio-
re ſubſtantia, & figura & forma. „ Car-
„ dinalis vero Perronius ex eodem
„ linguæ græcæ penu, ex quo ha-
„ buit μυεῖν, idem eſſe, quod no-
„ bis fumare eſt, obtruſit inauditam
„ hujus loci interpretationem quaſi
„ vellet Theodoretus ſigna Euchari-
„ ſtica manere in figura, & forma
„ prioris ſubſtantiæ, quod tacite, &
„ indirecte transſubſtantiationi pa-
„ trocinaretur. Certum quidem eſt,
„ hanc expoſitionem non ſolum au-
„ ctoris ſcopo, ſed etiam recepto
„ Græcorum ſtylo repugnare. Idem
„ alibi ex imis ratæ, & ſingularis
„ grammaticæ, ei ſoli cognitæ, pe-
„ netralibus extundit inſignem quan-
„ dam emendationem inſcriptionis
„ Epiſtolæ Conſtantini Imperatoris
„ ad Miltiadem Epiſcopum Roma-
„ num in hiſtoria (*c*) Eccleſiaſtica
„ Euſebii. Legit enim; " *Conſtanti-*
nus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo Ro-
mano longum tempus, „ aut, *proli-*
„ *xam occaſionem*; præter fidem exem-
„ plarium omnium, cum manuſcri-
„ ptorum, tum typis editorum, quæ
„ legunt, *Conſtantinus Auguſtus Mil-*
„ *tiadi Epiſcopo Romanorum, & Mar-*
„ *co*: Veritus, ne Imperator contra
„ decorum peccaſſe putaretur, ſi Mar-
„ cum iſtum cum Pontifice Roma-
„ no componeret, atque æquipara-
„ ret. Atque hinc ſatis patet, quam
„ ſit ad probe capiendam veterum
„ mentem neceſſaria Græce, latinæ-
„ que linguæ cognitio; ex quo il-
„ lud, quod nos initio conſtitui-
„ mus, evidenter conſequitur, nem-
„ pe, haud facile eſſe eorum ſcripta
„ intelligere. Quis enim neſcit,
„ quam non levi negotio parabilis
„ ſit duarum iſtarum linguarum om-
„ nibus numeris abſoluta ſcientia?
„ Profitentur tum Græci tum latini
„ ſe e Patrum authoritate pendere;
„ nec dum tamen inter eos convenit.
„ Suave eſt, exercitatiſſimos utrinque
„ pugiles in hac palæſtra apud Syno-
„ dum Florentinam certantes ſpectare;
„ pluresque horas, ac totos interdum
„ dies in enucleandis pauculis vel
„ Epheſinæ Synodi, vel Epiphanii,
„ vel

(a) *Act. 13. v. 2.*
(b) *Theod. Dial. 2.*

(c) *Euſ. lib. x. Hiſt. Ecc. c. 5.*

„ vel Baſilii voculis conſumentes,
„ rem eo tandem deduci, ut quan-
„ tumvis utrique de ſuarum expoſi-
„ tionum perſpicuitate glorientur; Pa-
„ trum ſenſus multo fiat poſtremo
„ obſcurior, quam ante fuit, offuſis
„ in res ipſas, per tam longas alter-
„ cationes tenebris. Satis quidem pro-
„ babiliter alii aliorum argumenta
„ confutant, ſed mirum quam pa-
„ rum ſolide ſua ipſi adſtruant. La-
„ tini ſane, quorum ut cauſa me-
„ lior, ita & diſputatio fælicior fuiſ-
„ ſe creditur, in loco quodam Baſi-
„ lii triumphant; ipſi tamen adeo
„ jejuna Dialectica uſi ſunt ad per-
„ ſuadendam, quam afferebant, ex-
„ plicationem, ut etiamnum in po-
„ ſtrema operum (a) Baſilii, quam
„ Fronto recenſuit, editione interpre-
„ tatio latina explicationem latino-
„ rum rejecerit. " Hoc pugnæ genus
ſuper quibuſdam controverſis capiti-
bus animadvertere licet. „ Tertulliani
„ quicquam ne fingi poteſt obſcurius
„ hoc loco e quarto libro contra Mar-
„ cionem! Chriſtus *acceptum Panem*,
„ *& diſtributum diſcipulis*, *Corpus il-*
„ *lum ſuum fecit* " (b) hoc eſt Corpus
meum *dicendo*, *id eſt*, *figuram Cor-*
poris mei. „ Si Auguſtino credita tran-
„ ſubſtantiatio: (c) Quid ſibi volunt
„ hæc ejus verba, *non enim Domi-*
„ *nus dubitavit dicere*, hoc eſt Cor-
„ pus meum, *cum figuram daret Cor-*
„ *poris ſui*! unde fit, ut quæ de hoc
„ argumento habent, non minoribus
„ ſint tenebris obſita, nec ſolutu fa-
„ ciliora, quam quæ ad controver-
„ ſias aliquando pertinere cauſa vi-
„ dentur. Explica hæc verba ex Juſti-
„ no contra Tryphonem. *Deum*, *qui*
„ *Moyſi apparuit & Patriarchis*, *Fi-*
„ *lium fuiſſe*: *Non Patrem*; eo, quod
„ Pater nunquam locum mutet, nec
„ aſcendat, nec deſcendat: *A nemine*
„ *unquam viſum Patrem*, *ſed Filium*
„ *quidem*, *& Angelum ejus*, *qui ſit*
„ *etiam Deus*, *per voluntatem Patris*.
„ Vix enim hæc: ſic reſolvi poſſunt,
„ quin diverſitas naturæ in Patre,
„ & in Filio ponatur, quod Aria-
„ num eſt. Expende etiam, quæ de
„ hoc argumento habet (d) Tertul-
„ lianus. *Patrem eſſe totam ſubſtan-*
„ *tiam*, *Filium vero derivationem*
„ *totius*, *& portionem*. (e) " Sic Dio-
nyſius Alexandrinus Filium *opus*, aut
Figmentum Patris vocat. „ Immo ipſi
„ lxxx. Patres, qui Paulum Samo-
„ ſatenum damnarunt, dicunt, *Fi-*
„ *lium non eſſe ejuſdem eſſentiæ cum*
„ *Patre* " qua ratione *ὁμοίσιον* ne-
gant, quod poſtea in Concilio Ni-
cæno conſtitutum fuit. „ Hæc ipſa ob-
„ ſervatio levi negotio probare poſ-
„ ſet, & in aliis Eccleſiæ cum Ma-
„ cedonio, Pelagio, Neſtorio, Eu-
„ tychete, & Monothelitis, Patres
„ obſcuriſſime de hiſce rebus locu-
„ tos, antequam in quæſtionem vo-
„ carentur. Olim iſta ſcripta ſunt
„ Hieronymo: " *Antequam in Alc-*
xandria quaſi Dæmonium meridianum
Arius naſceretur, *innocenter* quædam,
& minus caute locuti ſunt Eccleſia-
ſtici; quæ *non poſſunt perverſorum*
hominum calumnias declinare „ inter
„ recentiores doctiſſimi hoc ipſum ani-
„ madverterunt, Cardinalis Perro-
„ nius, ac " Petavius: „ Amabo te,
„ confer antiquiſſimorum de Divi-
„ ni-

(a) *Baſil. orat. in Sac. Bapt.*
(b) *Tert. lib. 4. cont. Mar. c. 2.*
(c) *S. Aug. cont. Adim. c. 10.*
(d) *Tert. adver. Prax.*
(e) *Dion. Alex. apud Ath. T. 3.*

„ nitate & æternitate Filii Dei dicta
„ cum iis, quæ de Euchariſtiæ na-
„ tura aliquando apud ipſis occur-
„ runt; enimvero patebit, hæc ab
„ ea, quæ nunc obtinet ſuper po-
„ ſteriore capite ſententia non eſſe
„ alieniora, quam illa ſunt a do-
„ ctrina olim in Concilio Nicæno
„ illuſtrata, & recepta. Filium eſſe
„ Patri conſubſtantialem Nicææ de-
„ finitum fuit, id Antiochiæ nega-
„ tum affirment ergo, vel negant
„ Patres, Euchariſtiam eſſe Corpus
„ Chriſti realiter, ſententiæ ſuæ non
„ adverſabuntur vehementius, quam
„ Antiocheni Patres in ſpeciem con-
„ tradixerunt Nicænis. Adde quod
„ quemadmodum Ariani jure nonpo-
„ tuerunt in ſententiam ſuam tra-
„ here voces iſtas, quæ Patribus an-
„ tiquiſſimis obiter tantum, in alia
„ argumenta, nullo Conſilio ut hoc
„ agerent, innocenter exciderunt:
„ Sic æquius, ſi verum amamus, ne-
„ que a me, neque a te afferri, tan-
„ quam ſententias in controverſiis re-
„ cens natis pronuntiatas, ea, quæ
„ Patribus ſcripta ſunt in alia argu-
„ menta. Et quemadmodum fideles,
„ qui poſt vetuſtiſſimos illos Patres
„ vixerunt, illorum ſententias ad
„ veritatem, quam profitebantur,
„ revocare conati ſunt, qua ratione
„ Athanaſius erga (a) Dionyſium
„ Alexandrinum, & Patres Antioche-
„ nos ſe geſſit: Sic noſtræ ſunt par-
„ tes, nullum lapidem non mo-
„ vere, ut, quam commodiſſime fie-
„ ri poteſt, exponamus quicquid in
„ eorum ſcriptis videtur cum ortho-
„ doxa fide de Euchariſtia, & aliis
„ capitibus pugnare. Exempli gra-
„ tia, ſi Dionyſii Alexandrini vocu-
„ la, qua Chriſtum Patris opus,
„ ποίημα vocat, & alia nonnulla,
„ qualia antecedentibus, & conſe-
„ quentibus mutila nobis objiciun-
„ tur, ſolitaria ex auctoris oratione
„ avulſa obtruderentur: Quis non
„ pronuntiaret, nodum eſſe inſolu-
„ bilem? & tamen Athanaſius locis
„ notatis aliter docet, & ex Lucæ
„ tum e loco ipſo petita, tum aliun-
„ de illata, oſtendit, voces illas du-
„ riores licet, bonum ſenſum habe-
„ re; quod ut capiamus plenius, ad
„ alias obſcuritatis Patrum cauſas per-
„ gendum eſt. Inter illas principem
„ conſtituo, quod interdum ſtudent
„ animi ſui ſenſa penitus occultare,
„ aut ſaltem oſtendere non nuda, &
„ aperta, ſed objecto velo. Habe-
„ bant enim meditationes neſcio
„ quas: Quas inutile, immo & no-
„ xium infirmis, & plebeis aperire
„ exiſtimabant, ut ex Clemente Ale-
„ xandrino patet. Is ſtromatis initio
„ de Conſilio ſuo agens, hæc ha-
„ bet: *Nonnulla conſulto prætermit-*
„ *to, timens ſcribere, quæ etiam ca-*
„ *vi dicere, non utique invidens;*
„ *neque enim fas:* “ *Sed eis metuens,*
qui in ea inciderent, ne in aliam
forte partem accipientes laberentur,
& puero gladium, ut proverbio fer-
tur, præbere inveniremur: Cæterum
ſubjungit, *ſe quædam ænigmatice ſi-*
gnificaturum, adeo ut in quibuſdam
inſiſtat, alia tantum dicat, & occul-
tans aperiat, & tacens oſtendat: „
„ Sed quod maximi eſt momenti,
„ hac ipſa methodo uſi ſunt circa
„ quædam capita, quæ hodie in con-
„ troverſiam vocantur circa ſcilicet
„ Sacramenta Eccleſiæ. Cum enim
„ ea myſteria nonniſi clam, & ſeor-
„ ſim

(a) *Athan. de ſide Dion. Alex. & de Syn. Arim & Seleu.*

,, ſim apud ſuos celebrarent, neque
,, ad ea contemplanda vel ethnicos,
,, vel Catechumenos, immo, ut qui-
,, dam volunt, neque ullos alios,
,, quam qui myſteriorum erant par-
,, ticipes, admitterent: Sic etiam in
,, tractationibus ſuis, maxime in ho-
,, miliis, quas ad populum habituri
,, erant, nunquam, niſi obſcure, de
,, iis agebant, ut de Euchariſtia an-
,, notarunt Perronius, Cauſabonus,
,, Petavius, & alii. Aſpice, quam
,, diligenter (a) Theodoretus, & Epi-
,, phanius ſibi caveant, ne Eucha-
,, riſtiæ materiam nomine proprio
,, indicent, ut ſemper eam deſignent
,, vocibus generalibus. Verebantur
,, ſcilicet, ne rei ipſius conſpectus,
,, ſermoque de materia, & ratione
,, Sacramentorum ſimplex, & aper-
,, tus hoc, vel illud ſtudium immi-
,, nuerent. Cum ergo, cum in hoc
,, argumento, cum in aliis, ipſis
,, propoſitum fuerit, mentem ſuam
,, caligine quadam veluti involvere;
,, non debet mirum videri, ſi quæ
,, ſcripſerunt, ſæpe obſcura videan-
,, tur. Sed eſt aliquid amplius: quan-
,, doque enim accidit, ut etiam, ubi
,, obſcuritati non ſtudent, obſcuri
,, tamen ſint. Sunt quibus obſcuri-
,, tatem conciliavit earum artium
,, ignorantia, quæ linguam fingunt,
,, & bene loqui docent. Alii ita noti
,, erant, ut eos neque ars, neque
,, ſtudium emendare potuerit. Epi-
,, phanium abſque injuria in priori
,, ordine collocari puto. Fuit qui-
,, dem vir ille doctus, ſed gramma-
,, ticæ, ac rethoricæ admodum ru-
,, dis, ut ſatis apparet ex ejus ope-
,, ribus, in quibus non ſolum ora-
,, tionis nitorem, ſed etiam ſeriem,
,, & ſyntaxin, periodorumque ſtru-
,, cturam, orationis omnis lucem
,, unicam, plerumque deſideres: Quæ
,, quidem vitia variis in locis ob-
,, ſcuritatem pariunt, quod querun-
,, tur ejus interpretes. Studuere alii
,, eleganter loqui, ſed votis ſucceſ-
,, ſus defuit. His accenſeri poteſt
,, Victorinus ille, de quo Hierony-
,, mus, " (b) *Victorino Martyri*, in-
,, quit, *in libris ſuis, licet deſit eru-
ditio, tamen non deeſt eruditionis vo-
luntas*. ,, Hujus quoque cenſus Ruf-
,, finus fuit, cujus latinitatem, acy-
,, rologias, & alia vitia ſevere ca-
,, ſtigat magnus antiquitatis cenſor
,, Hieronymus. (c) Et is tamen Ruf-
,, finus plurima ſcriptitavit; quin
,, & ſuos admiratores habuit. Ejuſ-
,, modi vitia in ſuorum Græcorum
,, nonnullis ſcriptoribus notat in Bi-
,, bliotheca ſua Photius: Quid ſtro-
,, matibus, & aliis Clementis Præſ-
,, byteri Alexandrini operibus varie-
,, gatum, & ornatum magis? textus
,, eſt enim totus ille ſcriptor allu-
,, ſionibus ad hiſtorias, ſententias,
,, apophtegmata, & adagia littera-
,, rum tum ſacrarum, tum propha-
,, narum. Hic vividis earum colo-
,, ribus illuſtratus aſſurgit, alibi um-
,, bris obſcuratus quodammodo de-
,, liteſcit: Quid dicam de Tertullia-
,, no, qui præter ſtyli Carthaginen-
,, ſis indolem, Orationis ſuæ ſplen-
,, dorem tanta eruditione, tam mul-
,, tis vocibus aut novis, aut e juriſ-
,, prudentia translatis, tot ſubtiliter
,, dictis obſcuravit, ut *lectores ad
,, nutum attentiſſime ſagaces* (ut non-
,, nemo dixit) ſibi poſcat. (d) No-
,, ſtratem

(a) *Petav. in Epiph. pag. 367.*
(b) *Hier. epiſt. ad Magn.*
(c) *Hier, Apol. 1.*
(d) *Rigal.*

„ ſtratem Hilarium rerum, & elocu-
„ tionis majeſtate ſublimem, co-
„ thurnumque illum gallicum, quem
„ in eo obſervat Hieronymus, pru-
„ dens mitto. Hoc unum dicam.
„ Scribendi, ſcripturaſque (a) ex-
„ plicandi ratio, quæ ab ini-
„ tio ſimplex, aperta, & ſuccincta
„ apud Chriſtianos fuerat, brevi im-
„ mutata eſt, & ſubtilitatis, orna-
„ mentorumque humanorum ſordes
„ contraxit, ut apud Epiphanium
„ teſtatur Methodius: " (b) *Docto-
res, non jam quod optimum eſt, gra-
vitatiſque plenum, ſtudent; ſed id
dumtaxat, quod placet, & quod ſe-
cundo favore fertur, reſpiciunt, uti
ſophiſtæ facere conſueverunt, qui ora-
tionum ſuarum mercedem accipientes,
doctrinæ, & eruditionis ſuæ laudi-
bus, tanquam prætio redimuntur: ac
priſcis quidem temporibus ſumma erat
in explicando brevitas; cum in id il-
li potiſſimum incumberent, non ut oble-
ctarent, ſed ut prodeſſent auditoribus.*
„ Idipſum graviter, & eloquenter ſuo
„ more queritur Gregorius Nazian-
„ zenus: „ (c) *Fuit quoddam tempus,
cum res noſtræ florerent, ac præclare
ſe haberent; cum nimirum ſuperflua
hæc, & verborum lepore, atque arte
fucata tractandæ Theologiæ ratio ad
divinas cauſas ne aditum quidem ha-
beret, verum idem erat calculis lude-
re juventutis celeritate aſpectum fal-
lentibus aut omnigenis, & laſcivis cor-
poris nexibus ſpectatores ludificari; quod
novi quidpiam & curioſi de Deo vel
dicerent, vel audirent. Simplex contra,
ingenuaque Oratio, atque doctrinæ pie-
tas exiſtimabatur. At poſtquam Sexti,
& Pyrrhones, & contradicendi libi-
dine incitata lingua, velut gravis qui-
dam, & malignus morbus in Eccleſias
noſtras infæliciter obrepſit, quodque A-
ctorum liber de Athenienſibus narrat;
ad nihil aliud vacamus, quam ad novi
aliquid dicendum. O quis Hieremias
confuſionem noſtram, caliginemque de-
plorabit! qui ſolus lamentationes cala-
mitatibus exæquare novit.* „ Enimve-
„ ro non diſſimulat Hieronymus in
„ Epiſtola ad Pammachium, ſcripta
„ ſua lectorem eruditum poſcere,
„ artiumque Dialecticæ, & Rhetori-
„ cæ non imperitum: idemque judi-
„ cium faciendum eſt de ſcriptis O-
„ rigenis, Methodii, Euſebii, Ter-
„ tulliani, Cypriani, Minutii, La-
„ ctantii, Hilarii, & aliorum, quos
„ eodem dicendi genere uſos fuiſſe
„ contendit, quanquam vero ſapien-
„ tum neminem inficiaturum putem,
„ quin metaphoræ, & figuræ, & alia
„ rhetorica ornamenta, dialecticæ ar-
„ gutiæ, omniumque ejuſmodi libe-
„ ralium diſciplinarum artificia plu-
„ rimum obſcuritatis in orationem in-
„ vehant: libet tamen ad argumen-
„ ti hujus majorem elucidationem
„ probationes quaſdam, & exempla
„ ſubtexere. (d) Hieronymus hoc fa-
„ tis docet, cum commentariorum
„ quorundam ex eo arceſſit obſcuri-
„ tatem, quod nimium eſſent diſerti.
„ Quis Chryſoſtomi, Hilarii, Ambro-
„ ſii non obſervavit hyperbata! unum
„ exemplum ex Hieronymo referam.
„ Is cum ad Euſtochium ſcriberet,
„ narrat, ſe, quod ſæcularium litte-
„ rarum libros ſtudioſius legeret, pro-
„ tractum fuiſſe ad tribunal Domini,
„ ibique acriter cæſum, ejus peccati
„ pœnas dediſſe. „ *Nec vero*, inquit,

(a) *Hier. Ep. 3. ad Paul.*
(b) *Meth. ap. Epiph. her. 64.*
(c) *Greg. Naz. Orat. Athen.*
(d) *Hier. Epiſt. ad Cyp.*

ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui. Teſtis judicium triſte, quod timui. Sed mihi nunquam contingat, in talem incidere quæſtionem: liventes, fateor, habuiſſe me ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnium, & tanto dehinc ſtudio Divina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. „ Quis non credat hanc
„ narrationem eſſe veram? atqui cer-
„ tum eſt, hoc nihil fuiſſe aliud,
„ quam ſomnium, & confictum mo-
„ re Rhetorum ad deterrendos lecto-
„ res a nimio librorum Ethnicorum
„ ſtudio. Cum enim Ruffinus obie-
„ ciſset, ipſum ne curatum quidem
„ abſtinere a gentilium litterarum li-
„ bris lectitandi: Hieronymus poſt
„ varia adverſus criminationem iſtam
„ allata, *hæc*, inquit, *dicerem, ſi quippiam vigilans promiſiſſem: nunc autem novum imprudentiæ genus objicit mihi ſomnium meum*. Eumque ad Prophetas amandat dicentes, *ſomniis non eſſe credendum; quia*, inquit, *nec adulterii ſomnium ducit me ad Tartarum, & injuria a ſe exigi ſponſionem ſomnii*. „ Quis ſcit, annon
„ Malchi vita, quam ille tanta arte,
„ totque adhibitis ornamentis pingit,
„ ejuſdemque modi cum ejus, tum
„ aliorum ſcripta ſint pariter ingenii
„ ipſius, & induſtriæ ſpecimina? Nec
„ ſane diſſimulat ipſe de vita Pauli
„ Eremitæ (*a*), hoc factum fuiſſe ju-
„ dicium a quibuſdam malevolis ſuis:
„ & probabile eſt, epiſtolam 47. com-
„ ptam ac diſertam ejuſdem eſſe in-
„ genii, argumento ad faciendum elo-
„ quentiæ periculum, declamatorio
„ more, ſuſcepto, ac conficto. Nec
„ abnuit Amerinus in Epiſtolæ præ-
„ fixa periocha. Satis jam vides, quan-
„ tis veterum libros tenebris Rheto-
„ ricæ artes involverint. Dum enim
„ frequentius, & liberius pigmentis
„ iſtis Oratoriis indulgent, factum eſt
„ magno noſtro malo, ut res ipſæ,
„ genuinique ipſorum ſenſus nos fu-
„ gerent. Quis idonee cavebat, non
„ fuiſſe adhibitas eaſdem artes in Eu-
„ chariſtiæ negotio, ut Divinorum
„ myſteriorum tum dignitatem, tum
„ reverentiam auctum irent? item de
„ Præſulum dignitate, ut iis popu-
„ lorum obſervantiam conciliarent?
„ ac denique de cæteris religionis ca-
„ pitibus, quæ hodie in controver-
„ ſiam vocantur? an eſt probabile,
„ ipſos umbris, & luminibus ſuis pe-
„ perciſſe in iis argumentis, quibus
„ iſta tanto poterant eſſe uſui? Huc
„ reſero, quod non raro apud eos
„ occurrit, ſcilicet ut negent, vel
„ affirment quædam quaſi ſimplici-
„ ter; quæ tamen reipſa neque ne-
„ gant, neque affirmant, niſi com-
„ parate cum aliis rebus tantum!
„ Quis Hieronymum non putet Mar-
„ cionitarum, & Encratitarum æſtro
„ percitum fuiſſe, dum in nuptias
„ tam (*b*) impotenter invehitur in
„ libris contra Jovinianum, uſque
„ adeo ut in hæc verba proruperit: „
Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem proprie caſtitatis eſt, præmia pudicitiæ nuptiæ poſſidere non poſſunt: Et infra. *exiſtimo, quod qui uxorem habet; quando revertitur ad id ipſum, ne tentet eum ſatanas: in carne ſeminet, & non in ſpiritu. Qui autem in carne ſeminat (non ego, ſed Apoſtolus loquitur) metit*

(a) *Hier. in Vit. Hilar.*

(b) *Hier. in lib. adv. vet. Nov.*

tit corruptionem. „ Sed in Epiſtola
„ ad Pammachium docet, locos iſtos,
„ aliosque ejuſdem generis compara-
„ te, non abſolute, accipiendos, ſe-
„ que hoc unum velle, tantam eſſe vir-
„ ginum fælicitatem, & puritatem,
„ ut ad eos collati conjuges nullius
„ eſse dignitatis videantur: quæ qui-
„ dem clavis magni eſt uſus in re-
„ ſerandis Patrum ſenſibus; eaque
„ ſolertiſſime uſi ſunt VII. Synodi
„ Patres in ſolvendis quibuſdam lo-
„ cis, quos Iconoclaſtæ objiciebant,
„ hunc maxime ex Chryſoſtomo: „ (*a*)
per Scripturas fruimur præſentia San-
ctorum, habentes imagines non corpo-
rum ipſorum, ſed animarum: quæ enim
dixerunt, ſunt eorum imagines anima-
rum. Hunc item ex Ambroſio: *curæ*
nobis non eſt coloribus depingere in ta-
bulis facies carnales Sanctorum: nam
iſtis non indigemus: Sed per virtutem
imitari eorum vivendi rationem. Ter-
tium denique ex Aſterio: *Chriſtum ne*
pingas in ſtragulis, ſed potius ſuppe-
dita pauperibus iſtorum ſumptuum ex-
penſas: ſufficit enim ipſi, quod ſemel
ſe demiſit, cum carnem noſtram aſ-
ſumpſit. „ Volunt Nicænæ Synodi
„ Patres, illos comparate loqui, &
„ hoc tantum ſignificatum velle, Ima-
„ gines Chriſti, & Sanctorum intue-
„ ri, longe minoris eſse ad pietatem
„ uſus, quam, vel ea, quæ ſcripſe-
„ runt, legere, vel vitam eorum imi-
„ tari, vel beneficentia pauperes pro-
„ ſequi. Gregorius P. R. I. ad Augu-
„ ſtini quæſtionem de Conſanguinita-
„ tis gradibus, intra quos matrimo-
„ nium contrahere licet, hæc, Beda
„ teſte, reſponderat: „ *Neceſſe eſt*,
(*b*) *ut jam tertia, vel quarta gene-*
ratio fidelium licenter ſibi jungat, nam
ſecunda, quam diximus, ſe omnino de-
bet abſtinere. „ Quis non putet, hanc
„ fuiſse ejus mentem, ut quæ per-
„ ſonæ in tertio gradu & ultra con-
„ ſanguineæ ſunt, eas, fas ſit apud
„ Chriſtianos, connubio jungi; cum
„ ſequentibus poſt Gregorium ſæcu-
„ lis placuiſset, ad ſeptimum uſ-
„ que conſanguinitatis gradum con-
„ jugii prohibitionem extendere. Il-
„ lamque Gregorianam indulgentiam
„ non generaliter omnibus fidelibus,
„ ſed ſpecialiter uni Anglorum genti
„ recens ad Chriſtum converſæ con-
„ ceſsam eſse; ſuamque hanc gloſsam
„ ipſi Gregorio affingere, ſcripta ejus
„ nomine ad Fælicem Meſsanæ Epi-
„ ſcopum Epiſtola: *quod autem*, in-
quit, *ſcripſimus Auguſtino Anglorum*
gentis Epiſcopo, Alumno videlicet, ut
recordaris, tuo, de conſanguinitatis (*c*)
conjunctione, ipſi & Anglorum genti,
quæ nuper ad fidem venerat, ne a bo-
no, quod cæperat, metuendo auſterio-
ra recederet, ſpecialiter, & non gene-
raliter cæteris me ſcripſiſſe cognoſcas.
„ Baronius Epiſtolam, in qua hæc
„ continentur, pro genuina habet.
„ Nos Blondello noſtro aſsentimur,
„ qui ſpuriam eſse demonſtravit. Ve-
„ tus tamen eſt. Ergo Baronius ne-
„ ceſsario fateri debet, ſupra allata
„ Gregorii verba, hoc, quem Epi-
„ ſtola exhibet, ſenſu ſcripta eſse.
„ Nos concedimus, impoſtorem, qui
„ eam olim procudit, exiſtimaſse,
„ ita inflecti poſse Gregorii legem.
„ Scio, iſtas & pſeudo-Gregorii &
„ Nicænorum Patrum ſolutiones non
„ carere ſuis difficultatibus. Sed pa-
„ tet ex eorum ſententia, poſse &

(a) *Syn. VII. Act. 6.*
(b) *Beda Hiſt. Angl. lib. 1.*
(c) *Greg. Ep. 31.*

„ debere veterum auctorum ſcripta „ nonnunquam longe aliter, quam „ ſonant, accipi. Unde ſequitur, in„ terdum eſse difficillima. Jam ut „ Patrum Rhetorica homiliis, & ſer„ monibus caliginem multam affu„ dit, ſic eorum Dialectica, quæ de „ controverſiis, & polemice ſcripſe„ runt, ſexcentis difficultatibus im„ plicavit. Quippe dum diſputant, „ tanta animi contentione in ſcopum, „ quem ſibi proponunt, feruntur, ut „ de cæteris ſecuri, haud raro im„ prudenter effutiant, quæ cum cæ„ teris religionis Chriſtianæ capitibus „ pugnant. Fit etiam nonnunquam, „ ut, dum totis viribus errorem quem„ piam oppugnant, in contrarium „ impingere videantur. *Vehemens cum adverſarii contentio* (verba ſunt Theodoreti) *fecit, ut modum* (a) *excederent; quod & iis, qui arbores colunt, evenire ſolet, cum enim in curvam planam viderint, non ſolum ad rectam normam exigunt, ſed in alteram quoque partem inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum ſtatum perducatur.* Sic Diony„ ſii Alexandrini ſibi objecta, tan„ quam Arianiſmo faventia, verba „ explicabat Athanaſius: *non ſcripſit*, inquit, *ſimpliciter, quaſi fidem expoſiturus, ſed occaſione temporis, & perſonæ; ut agricola, qui alias, atque alias arbores aliter pro ſubjecti ſoli ratione curat, minime culpari debet, quod hanc amputet, illam inſerat, illam plantet; aliam rurſus evellat; ſed potius ob multiplicem ſolertiam in admiratione eſſe ... quæ autem ſcribuntur, aut fiunt per æconomiam, maligne non ſunt accipienda, nec ad cujuſque libitum trahenda.* Alibi ſic ſol„ vit Patrum Antiochenorum dictum „ quoddam negantium filii conſub„ ſtantialitatem; oſtendit enim ipſis „ propoſitum tantum fuiſſe (b) Pauli „ Samoſateni ſententiam confutare, „ qui Patris, & Filii unam, eandem„ que eſſe perſonam, non vero utriuſ„ que diſtinctam ſubſiſtentiam, vole„ bat. Eadem methodo Baſilius ex„ ponit, quod ſcripſerat Gregorius „ Neocæſarienſis, (c) *Patrem & Filium cogitatione noſtra duos, at hypoſtaſi unum eſſe.* Reſpondet enim, *ſic locutum non dogmatice, ſed diſputando.* „ Unde apparet, in ſcriptis ejuſ„ modi ſententiam, adverſus quam „ Patres pugnant, eſſe normam eo„ rum omnium, quæ affirmant, aut „ negant. Hinc variantur ſenſus eo„ rum, licet nonnunquam iiſdem „ vocibus eos exprimant, quas ad„ hibere ſolent hæretici. Cum diſpu„ tant adverſus Valentinianos, aut „ Manichæos, videntur cum Pela„ gianis facere. Eadem ratione ſi„ cubi manus cum Pelagianis confe„ runt, videntur cum Manichæis ſen„ tire: ſi adverſus Arium feruntur, „ videntur a Sabellio minus eſſe alie„ ni. Viciſſim cum Sabellium ado„ riuntur, ad Arium accedere viden„ tur, ut animadvertit Epiſcopus Bi„ tuntinus (d) de Auguſtino. Inter „ opera Athanaſii extat tractatus qui„ dam, in quo neque nitorem, ne„ que acumen jure deſideres. Cæte„ rum ejus ſcriptor duarum (e) in „ Chriſto naturarum diſtinctionem „ tanto niſu conſtituit, ut ad Neſto„ rii placita deflectere videatur. Si „ ea legas, quæ initio diſputationis „ haben-

(a) *Theod. Dial.* 3. *cap* 30.
(b) *Athan. de Syn. Arim.* 2. *Seleuc.*
(c) *Baſil. Epiſt.* 64.
(d) *Cornel. Muſſo comment. in epiſt. ad Rom. c.* v. *pag.* 270.
(e) *Tom.* 1. *Op. Ath. pag.* 316.

„ habentur: at poſtremum caput o-
„ ſtendit, auctorem in recta fuiſſe
„ ſententia. Eadem de cauſa Julius
„ Epiſcopus Romanus in errorem Eu-
„ tychianum impingere videbatur in
„ epiſtola, quam ſcribit Gennadius,
„ fuiſſe olim utilem adverſus eos,
„ qui duas perſonas (a) in Chriſto po-
„ nebant, *nunc autem*, inquit ille,
pernicioſa probatur: fomentum enim eſt Eutychianæ, & Timotheanæ impietatis: Quod ipſum fecit, ut alii ſcri-
„ ptores, Gennadio recentiores, Julii
„ eam eſſe negaverint, (b) eique ab
„ Hæreticis ſuppoſitam fuiſſe cenſue-
„ rint. Attende nunc, quanta nobis
„ cautione opus ſit, apud iſtos tam
„ multis ſpinis obſitos Scriptores ver-
„ ſantibus, quamque acri judicio di-
„ ſtinguenda apud eos ſit & cauſa a
„ probationibus, & rei caput, & ſum-
„ ma a parergis, & hyperbolæ ora-
„ tionis ab ipſa auctoris ſententia.
„ Atque hinc expende, num verum,
„ atque æquum ſit, uno, aut altero
„ verbo, quæ contra Valentinianos,
„ & Marcionitas, vel Neſtorianos,
„ & Eutychianos diſputantibus exci-
„ derunt, ea decidi, quæ nunc inter
„ nos vel de libero arbitrio, vel de
„ proprietatibus carnis Chriſti, vel
„ de Euchariſtia diſputantur. Notan-
„ dum quoque eſt, inſtitutorum, ſi-
„ ve conſuetudinum, tam in rebus
„ ſæcularibus, quam in Eccleſiaſticis
„ inprimis mutationem, ſignificatio-
„ nis item vocabulorum variationem,
„ non parum conferre ad difficulta-
„ tes, quas in legendis, & intelligen-
„ dis Patribus offendimus. Nemo eſt
„ in utriſque partibus, qui mundi,
„ & Eccleſiæ faciem immutatam fuiſ-
„ ſe vel neſciat, vel neget. Doctri-
„ nam nunc non moror. Quid factum
„ eſt vetere diſciplina? Quid ſeveri-
„ tate, & Canonibus antiquis! Quid
„ baptiſmi, & Euchariſtiæ myſticis
„ cærimoniis? quid ritibus in Cle-
„ ricorum Ordinatione obſervatis?
„ Omnia iſta defoſſa ſunt. Alia Æ-
„ tas alios mores poſtulavit. Cum er-
„ go veterum libri ad iſta, quæ nos
„ latent, alluſionibus ſcateant, neceſ-
„ ſario conſequitur, ut laborioſum ſit
„ admodum, ſenſum eorum in ejuſ-
„ modi locis percipere, ſed longe ma-
„ jor confuſio a vocibus ipſis, quas
„ mutata ſignificatione retinuimus.
„ Papam, Patriarcham, miſſam,
„ oblationem, ſtationem, Proceſſio-
„ nem, peccata mortalia, pœniten-
„ tiam, confeſſionem, ſatisfactionem,
„ meritum, indulgentiam, cum ve-
„ teribus dicimus, ſed ſenſu, ab eo,
„ quem tum habebant, non minus
„ alieno, quam illorum ætas diſtat a
„ noſtra: cum apud utrarumque par-
„ tium eruditos conſtet, voces iſtas
„ & antiquam amiſiſſe, & novam na-
„ ctas eſſe ſignificationem. Sed hæc
„ quidem hactenus ſatis, & forſan
„ plus ſatis, de obſcuritate veterum
„ ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Ex
„ quibus concludimus longe majoris
„ molis eſſe, quam Vulgus putat,
„ ex Patrum ſcriptis pernoſcere, quid
„ ſenſerit illorum temporum Eccle-
„ ſia de iis religionis capitibus, quæ
„ hodie controvertuntur. „

Attende, quæſo: nam Dallæus, quid a Patribus antiquioribus conſtanter dicatur, quid ipſum agatur, nequaquam perſpexit. Quo igitur, inquis, modo? quia cum S. Auguſti

nus,

(a) *Genn. in Catal.*

(b) *Facun. Herm. Lib.* 1. *c.* 3. *pag.* 40.

nus, Marcianus Imperator, ac Photius, ſupra laudati liquido doceant, a S. *Iræneo* adverſus *Hæreticos*, utique Valentinianos, & Marcionitas, *catholicam fidem aptiſſime eſſe defenſam*; ab aliiſque Arium, Eunomium, ac Neſtorium *clarius* exagitatos; atque etiam Patrum *doctrinis*, *quæ orthodoxam fidem clare pronuntiant*, Eutychianos everſos: cum hæc, inquam, illi declarent: tum Dallæus *tantas doctrinas*, quibus ſuam depravatam opinionem amoveret, non requiſivit. Infirmus accuſator: ne dicam impudentem, & acerbum; qui veteres auſus eſt accuſare, quod ipſis imprudentibus, cum adverſus relatos hæreticos diſputarent, nonnulla verba fidei rebus obſcuritatem afferentia exciderunt: in quo imprudentiæ genere ipſe cenſor offendit, non videns eruditiſſimos Patres, & Criticos ſcriptores; qui *fidei* dogmata uno, vel altero verbo ab antiquioribus Patribus non obſcurata, ſed *apertiſſime defenſa*, & *clare pronuntiata* diſerte teſtantur. Ex pleriſque igitur veterum locis, quos præſertim S. Auguſtinus, & Concilium Chalcedonenſe a Marciano indicatum tractarunt, quibuſque *fidem orthodoxam aperte oſtenderunt*, *claræ Patrum doctrinæ*, ampliſſimæ authoritates, & firma argumenta adverſus nuperos Heterodoxos elici queunt & afferri.

Cum itaque ab his antiquis judicibus & criticis Dallæi crimina reſcindantur: cumque ea, quæ pro nobis ſunt, amplificanda ſint, & augenda; quæ autem pro adverſario, infirmanda, atque frangenda: Hinc de omnibus ſingillatim agamus, & ampliationis notas ſcribamus, oportet.

De obſcuritate Sacræ Scripturæ exponendæ Patrum interpretationibus.

Nihil unquam obſcurius myſteriis, quæ a Divinis litteris referuntur, viſum eſt, atque creditum; quod quidem heterodoxus Dallæus, contra quam alii hæretici errore putant, intellexit, & faſſus eſt: ſed tamen a vero aberravit, dum multa Patrum dicta obſcura eſſe contendit, ut horum interpretationes, quibus ii quædam fidei myſteria in Sacris Scripturis contenta aperiunt, nequaquam teneret.

Hujus erroris amputandi cauſa animadvertimus, quod in Divinis litteris & aliquot hiſtoriæ liquido narrantur, & Decalogi præcepta facile cognoſcuntur, quæ ad legem naturalem a Deo in omnium animis deſcriptam attinent, ac poſſunt ſuperno ipſius auxilio obſervari.

Multa autem Sacræ Scripturæ oracula, multa ejus capita, multaque myſteria, præſertim quæ ad res Fidei catholicæ ſpectant, obſcuritatibus involvuntur; ideoque Patrum explicationibus, quarum pleræque ab eruditis claræ noſcuntur, illuſtrari utique debent.

Has Scripturæ Divinæ obſcuritates Dominus ſuis Diſcipulis, qui de ejus reſurrectione quæſtionem habebant, monſtravit, cum *incipiens a Moyſe*, (a) *& omnibus Prophetis*, *interpretabatur illis in omnibus Scripturis*, *quæ de ipſo erant*. (b) S. Lucas quoque teſtatur, quod *vir Æthiops*, *Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum* ... *venc-*

(a) *Luc. ult. v.* 27.
(b) *S. Lucas Act. Apoſt. cap.* XIII. *v.* 27. *&* 28. *& ſeqq.*

venerat adorare in Jeruſalem. Et revertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legenſque Iſaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: accede, & adjunge te ad currum iſtum. Accedens autem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: putaſne, intelligis quæ legis? qui ait: & quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? rogavitque Philippum, ut aſcenderet, & ſederet ſecum. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: (*a*) tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? *reſpondens autem Eunuchus Philippo, dixit: obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo? aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens a Scriptura iſta, Evangelizavit illi Jeſum.*

S. Petrus Apoſtolorum Princeps quibuſdam Hebræis, ac Gentibus etiam Fidelibus hoc dixit: (*b*) *Salutem arbitremini; ſicut & chariſſimus Frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis; ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his; in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

S. Juſtinus Martyr ubi de Chriſto, ejuſque Paſſione adlatum Iſaiæ locum tractavit, & aperuit; tum pleraſque Sacras litteras obſcuras eſſe docuit, Tryphonem judæum ita allocutus: *Noſti, inquam,* (*c*) *Prophetas, quæcumque fecerunt, aut dixerunt, ea ſignis, & imaginibus, ut inter nos convenit, involviſſe, ut non facile pleraque ab omnibus intelligerentur; & veritatem his dictis, & factis inſitam abſcondiſſe, ut & qui eam invenire, & diſcere ſtuderent, non ſine labore id aſſequerentur.*

Origenes in Commentariis ad Pſalmum primum, clauſas, obſignataſque eſſe Scripturas Divinas, ex eo Pſalmo, atque ex S. Joannis Apoſtoli Apocalypſi declarat, de quo dogmate addit, *quod ſane apud illos in confeſſo eſt,* (*d*) *qui Divinarum litterarum notitiam vel mediocriter aſſecuti ſunt: quæ quidem ænigmatum involucris, ac parabolis, tenebroſiſque ſermonibus, ac diverſis aliis obſcuritatis generibus, quæ hominis ingenio difficile comprehenduntur, refertæ ſunt.*

S. Joannes Chryſoſtomus, ut ad Sacras Scripturas legendas nonnullos adhortaretur, docuit, aliqua hiſtorica quidem & morum præcepta in iiſdem Scripturis eſſe clara; ſed tamen ab aliquot earum orationibus obſcuritatem afferri, ideoque has a ſapientioribus explicari debere. Quo S. Doctor ſignificavit, quædam ſane in veteri, & novo Teſtamento extantia, atque ad res Hiſtoriæ Sacræ, & ſanctimoniæ pertinentia, ab *Idiotis* etiam audiri poſſe & intelligi: verumtamen in illis myſteria *recondita* eſſe & *obſcura;* atque adeo ab Eccleſiaſtico *Doctore* aperienda: quod laudati Eunuchi exemplo Chryſoſtomus ſtatuit, atque firmavit: qui aliquos profecto, ut libros ſpiritales vel legerent, vel haberent, ab iiſque morum ſanctitatem

(a) *Iſ.* 53. 7.
(b) 11. *Pet.* 13. v. 15. & *ſequ.*
(c) *S. Juſt. M. in Dial. cum Tryph. Jud. num.* 90. *pag.* 187.
(d) *Orig. Apud S. Epiph. hær.* lxiv. *num.* vi. *pag.* 530.

Digitized by Google

tem poſtularent, monuit his verbis: „ Ubicumque (*a*) fuerint libri ſpirituales, illinc omnis expellitur vis „ Diabolica, multaque inhabitantibus accedit virtutis conſolatio: „ quandoquidem ipſe etiam per ſe „ librorum aſpectus ſegniores nos reddit ad peccandum: ſive enim quidpiam auſi fuerimus eorum, quæ „ prohibita ſunt, noſque ipſos reddiderimus pollutos; reverſos domum, ac libros intuentes acrius „ condemnat conſcientia, reddimurque lentiores ad eadem repeten„ da ... quod ſi acceſſerit diligens „ lectio, non aliter, quam in ſacris „ aditis, rebus divinis initiata anima, ſic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipſa per illas ſcripturas colloquente. Quid igitur, „ inquiunt, ſi non intelligamus ea, „ quæ continentur libris? maxime „ quidem: etiamſi non intelligas illic recondita: tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia, „ quamquam fieri non poteſt, ut omnia ex æquo ignores .... Signa, „ miracula, hyſtoriæ non cuivis nota, manifeſtaque ſunt? prætextus „ iſte eſt, & cauſatio, pigritiæque „ velamentum. Non intelligis quæ „ inſunt. Quomodo poſſis aliquando „ intelligere, qui ne leviter quidem „ inſpicere velis? ſume librum in „ manus, lege hiſtoriam omnem; „ & quæ nota ſunt, memoria tenens ea, quæ obſcura ſunt, parumque manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur: accede ad ſapientiorem, „ vade ad Doctorem, communica de „ iis, quæ ſcripta ſunt, declara vehemens ſtudium. Et ſi viderit te „ Deus tantam animi alacritatem „ adhibere, non deſpiciet tuam vigilantiam, ac ſollicitudinem, verum etiam ſi nullus homo te docuerit, quod quæris; ipſe ſine dubio reſerabit. Memento Eunuchi „ Reginæ Æthiopum, qui cum eſſet homo barbarus, innumeriſque „ diſtentus ſollicitudinibus, & undequaque circumſcriptus negotiis; „ nec intelligeret, quæ legebat; legebat tamen in curru ſedens. Quod „ ſi in via tantam præſtitit diligentiam, cogita, qualis fuerit domi „ verſans. Si tempore profectionis „ non ſuſtinuit abſque lectione manere, multo minus domi ſedens. „ Si nihil intelligens legebat, nec „ deſtitit a lectione; multo minus „ poſtquam didicerat. Nam ut ſcias „ quod non intellexerit, quæ legebat: audi quid dicit Philippus: „ Num intelligis quæ legis? *Atque ille his auditis non pudefactus eſt nec erubuit, ſed inſcitiam ſuam confeſſus eſt*, *atque*, quinam poſſum, niſi quis mihi oſtenderit? *Cum nondum haberet, qui viam commonſtraret, tamen legebat, eoque cito conſecutus eſt ductorem: novit propenſam illius animam Deus, ſtudium amplexus eſt, miſit Doctorem illico.*

S. Hieronymus Epiſtola ad Paulinum incitans ſacrarum litterarum ſtudium, & in hiſce quantum ſit difficultatis, atque obſcuritatis, oſtendens; de Dei ſapientia ſic loquitur: (*b*) *Hæc ſapientia in myſterio abſcondita eſt, de qua & noni Pſalmi titulus prænotatur*, pro occultis

(a) S. *Joan. Chryſ. Concione* 3. *de Laz. pag.* 739. *& ſeq. Tom.* 2.

[b] S. *Hieron. Ep* LIII. *ad Paulinum pag.* 272. *Tom.* 1.

cultis Filii : *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi : & qui in myſterio abſconditus erat prædeſtinatus eſt ante ſæcula, prædeſtinatus autem, & præfiguratus in lege, & Prophetis. Unde & Prophetæ appellabantur, videntes, quia videbant eum, quem cæteri non videbant.* Abraham vidit diem ejus, & lætatus eſt. (*a*) *Aperiebantur* Cœli *Ezechieli, qui populo peccatori clauſi erant.* Revela, inquit David, (*b*) oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua : *Lex enim ſpiritualis eſt, & revelatione opus eſt, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur; liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur; quem ſi dederis homini ſcienti litteras, ut legat; reſpondebit tibi: non poſſum; ſignatus eſt enim. Quanti hodie putant, ſe noſſe litteras, & tenent ſignatum librum, nec aperire poſſunt, niſi ille reſeraverit,* qui habet clavem David, (*c*) qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. *In actis Apoſtolorum ſanctus Eunuchus, immo vir (ſic enim eum ſcriptura cognominat) cum legeret Iſaiam, interrogatus a Philippo,* putaſne intelligis quæ legis? (*d*) *reſpondit,* quomodo poſſum, niſi aliquis me docuerit? *Ego, ut de me interim loquar, nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Æthiopia, id eſt, de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis, divinæque ſcientiæ fuit, ut etiam in vehiculo ſacras litteras legeret: & tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis perſonaret; ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei Jeſum, qui clauſus latebat in littera. O mira Doctoris virtus! Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, fidelis, & ſanctus eſt, ac de diſcipulo magiſter: plus in deſerto fonte Eccleſiæ quam in aurato* Synagogæ templo reperit. *Hæc a me perſtricta ſunt breviter (neque enim Epiſtolaris anguſtia evagari longius patiebatur), ut intelligeres, te in Scripturis Sanctis, ſine prævio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi. Taceo de Grammaticis, Rhetoribus, Philoſophis, Geometris, Dialecticis, Muſicis, Aſtronomis, Aſtrologis, Medicis, quorum ſcientia mortalibus vel utiliſſima eſt, & in tres partes ſcinditur,* τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. *Ad minores artes veniam, & quæ non tam* λόγῳ, *quam manu adminiſtrantur. Agricolæ, cæmentarii, fabri, metallorum, lignorumve cæſores, lanarii quoque, & fullones, & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore non poſſunt eſſe, quod cupiunt. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant: hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alii adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur. Alii diſcunt, proh pudor! a fœminis, quod viros doceant, & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, immo audacia ediſſerunt aliis,* quod ipſi non intelligunt. *Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad Scripturas Sanctas, poſt ſæculares lit-*

(a) *Jo.* 8. 56.
(b) *Pſ.* 118. v. 18.
(c) *Apoc.* 3. 7.
(d) *Act.* viii.

teras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant. Nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia; quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem .... Iſaiam Hieremiam, Ezechielem, & Danielem qui poſſit vel intelligere, vel exponere? quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, ſed evangelium ſecundus virgam nuceam, & ollam ſuccenſam a facie Aquilonis, & pardum ſpoliatum ſuis coloribus, & quadruplex diverſis metris nectit alphabetum, tertius principia, & finem tantis habet obſcuritatibus involuta, ut apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos triginta non legantur. Quartus vero, qui & extremus inter quatuor Prophetas, temporum conſcius, & totius mundi φιλοστωρ, lapidem præciſum de monte ſine manibus, & regna omnia ſubvertentem claro ſermone pronuntiat ... Apocalypſis Joannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis interior eſt, in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.

Denique S. Auguſtinus in Epiſtola ad Voluſianum cum de ſacris litteris diſſerit; hæc apta ad quæſtionem, in qua verſamur, edocet: (a) *Modus autem ipſe dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quæ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuſcula, & inerudita, quaſi pauper ad divitem, ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat charitate, hoc in promtis, quod in reconditis, habens. Sed ne aperta faſtidirentur, eadem rurſus operta deſiderantur, deſiderata quodammodo renovantur, renovata ſuaviter intimantur.*

Ex illis igitur Divinis oraculis, atque ex his veterum textibus certe colligitur, pleraſque Sacras litteras *obſcuritate* involvi, & in *ſingulis* earum *verbis multiplices intelligentias*, ſenſus, ac *Sacramenta latere*; quæ proinde ut a Patribus enucleata accipi debent, atque teneri. Quapropter Deus Reginæ Candacis Eunucho, qui neque Chriſti myſteria ab Iſaia prædicta percipiebat, *necdum Doctorem* habebat, miſit Philippum: quo quidem docente non autem privato Eunuchi ſpiritu declarante, idem Eunuchus Iſaiæ præditiones comprehendit: quippe quas eodem ſuo privato ſpiritu antea non intelligebat: non igitur privato cujuſque ſpiritu ediſſerente, ſed Eccleſiaſticorum Doctorum interpretatione Sacræ litteræ declarantut, & intelliguntur: quos *Doctores* ad eaſdem ſcripturas exponendas adhiberi oportere, laudati Patres eo Eunuchi exemplo ſtatuunt, ac docent; quorum doctrinam uti explicandæ S. Scripturæ regulam habemus, atque defendimus.

Contra hoc Dallæus profert quædam S. Hieronymi verba; quæ tamen cum hujus teſtimonio a nobis allato conferenda ſunt, & enucleanda.

Siquidem Cypriano Presbytero pſalmi

(a) S. Aug. Ep. 137. ad Volu. num. 18. pag. 400.

mi octogeſimi noni explicationem poſcenti S. Doctor ita reſpondit: (*a*)
„ A me poſtulas, ut difficillimum pſalmum qui apud græcos, & latinos
„ octogeſimus nonus inſcribitur, tibi
„ ediſſeram, non compoſita verborum
„ oratione, plauſuque populari, qui
„ ſolet imperitorum aures decipere,
„ atque palpare; ſed oratione ſimplici, & Eccleſiaſtici eloquii veritate: ut ſcilicet interpretatio noſtra non alio interprete indigeat;
„ quod pleriſque nimium diſertis accidere ſolet, ut major ſit intelligentiæ difficultas in eorum explanationibus, quam in his, quæ explanare conantur. „

Ecquid Dallæus argutus eſt? Culpæ quippe quia illa S. Hieronymi antecedentia callide omiſit, ut Eccleſiaſticorum Doctorum commentarios, quibus Sacras Scripturas exponunt, iiſdem Divinis litteris obſcuriores eſſe, in illiſque operibus difficiliores earum explicationes haberi, contenderet, deque catholicæ Patrum doctrinæ claritudine temere dubitaret. At de Patrum Scriptis non loquitur Hieronymus; (*b*) qui ut quempe Eccleſiæ Doctorem in explicandis ſacris Scripturis clarum ab iis, qui *compoſito ſermone aures populi mulcent*, & *quicquid dixerint*, *hoc legem Dei putant*, plane diſtinguit ad Paulinum ſcribens: ita in Epiſtola ad Cyprianum eos Patres, qui oratione ſimplici, & *Eccleſiaſtico eloquio* veritate Sacras litteras interpretati ſunt, quales plerique fuerunt, minime petit: ideoque Dallæus fruſtra ſumit, Hieronymum de ſcriptis veterum commentariis, in quibus Divinæ ſcripturæ explanationes ea obſcuriores, obſcurioraque dogmatum ſenſa inveniantur tractare.

Quamobrem de pleriſque veteris Eccleſiæ ſcriptoribus, & de quorumdam veterum ſcriptis, quibus iſti Divina oracula expoſuerunt, illa Hieronymi verba falſo Dallæus uſurpat, ac præterea bifariam refellitur: primum quod S. Doctor in allata Epiſtola ad Magnum, in aliiſque dogmaticis operibus plerorumque Patrum teſtimoniis, ac volumina, in quibus horum *eruditio*, *S. Scripturæ ſcientia*, *verborum ſplendor*, & plurium dogmatum veritas lucent, producit, & celebrat; ſicque non vult, hoſce obſcuros fuiſſe: deinde quod in litteris ad Paulinum, & Cyprianum arguit pleroſque *nimium* diſertos ab iiſdem Magiſtris Eccleſiaſticis alios, quippe qui ab ipſis magiſtris ſacras *litteras non diſcebant*, & *dictis aures imperitorum mulcentibus*, ac non adeo commentariis exaratis, *ad ſuam voluntatem trahebant repugnantes ſcripturas*; quo fiebat, ut *major* eſſet difficultas in intelligendis eorum explanationibus, quam in his, quæ explanare vocibus ſuis conabantur: non ergo in utraque Epiſtola de pleriſque Eccleſiæ ſcriptoribus, nec de ſcriptis quorumdam commentariis in Sacras Scripturas Hieronymus verba fecit: ſed, cum in adductis litteris Eccleſiæ Magiſtros, eorumque eloquii Eccleſiaſtici veritatem, & claritudinem commendarit; ſane claros plerorum-

(a) S. *Hier. Ep.* 140. *ad Cypr. pag.* 1043. *Tom.* 2.

(b) S. Hieronymus non de Patribus, ſed de his loquitur, qui *poſt ſæculares litteras ſermone compoſito, ſive, quodam facilitate verborum, aures populi mulcent, & quicquid dixerint, legem Dei putant*: quod ut in epiſtola ad Paulinum, ita in altera ad Cyprianum ſignificat Tyronem dicta compoſita, non ſcripta, neque commentarios Eccleſiaſticorum Doctorum, qui multo poſt ſæculares litteras interpretati ſunt Divinam Scripturam.

que veterum libros, claras S. Scripturæ expoſitiones, claraſque ipſorum doctrinas adſignificavit.

Cum igitur S. Scripturæ obſcuritatibus involvantur, neque ad dirimendas Fidei quæſtiones, Dallæo fatente; valeant, nec cujuſque ſpiritu privato ediſſeri poſſint: ideo Patrum interpretatione exponendæ ſunt præſertim in Fidei dogmatibus.

De latinis quorumdam Græcorum veterum verſionibus.

QUid rurſus loquar de Dallæo? qui eodem in loco non conſiſtens, ſed diverſas diſputationes ingrediens, ac nihil excipiens, falſo dicit, quod latinæ nonnullorum Græcorum Patrum, Scriptorumque interpretationes haud ſinceræ, græcis illorum veterum textibus afferant obſcuritatem. Nam vitioſæ iſtæ verſiones vel ex linguæ græcæ ignoratione, vel ex interpretum ſimulatione, & artificio natæ, græca authorum Eccleſiaſticorum volumina obſcurare non poſſunt.

Equidem haud ignoramus, ad intelligendos Græcorum Patrum libros neceſſariam eſſe linguæ Græcæ cognitionem ita accuratam, ut græcorum vocabulorum radices, eorumque ſignificationes ab antiquis Græcis Scriptoribus tum prophanis, tum Eccleſiaſticis denotatæ percipiantur. Ac non modo Græcorum, verum etiam Latinorum Patrum linguas eruditi intelligentes declarant, in utrorumque voluminibus ipſorum mentem, verborum, locorumque connexum, & præcipue argumentorum omnium vim, eſſe aſpicienda Theologis, atque interpretibus, ut eorumdem operum vel in alias linguas translatorum recta intelligentia habeatur.

Nec vero fieri poteſt, ut græcæ linguæ voces, ac notiones, quantumvis propriæ, non diſcernantur: quandoquidem eas latini eruditiores patefecerunt ex claro antiquiorum Græcorum inſtituto.

Hoc porro inſtitutum tenentes plerique veteres Græci Eccleſiaſtici, ſuis in libris *aperte*, & *clare* locuti ſunt, quemadmodum S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Marcianus Imperator, ac Photius, ſupra adducti teſtantur.

Quare ſi quis vel ex antiquis, vel ex recentioribus illorum veterum græcorum aut volumina, aut quædam enuntiata in latinum minus bene tranſtulerit; certe eorumdem operum, vocumque claritates neutiquam adulterinis verſionibus ſublatæ per ſe cognoſcuntur, illæque iſtis anteſtant; quæ quidem græcorum textuum per ſe ſpectatorum claritudines nonnullis ipſis exemplis, quæ Dallæus male movet, plane oſtenduntur.

Inprimis Euſebius ex Lugdunenſium Martyrum actis refert, Paganos Chriſtianis Thyeſtea, & Œdipia, in quibus hi infantes comederent, ſeque inceſto flagitio polluerent, objeciſſe: quam calumniam Martyr Bibliades his verbis obtrivit: (*a*) *πῶς ἂν παιδία φαγοιεν οἱ τοιουτοι, οἷς μηδὲ αλόγων ζωων αιμα φαγεῖν ἐξην: Quomodo infantes comederent hi, quibus ne mutorum quidem animantium ſanguinem deguſtare licet?*

Equidem me aſſertorem accommodo veritati; cum illud enuntiatum in vetuſtis græcis Euſebii Manuſcriptis eſſet: quo dicto græco Ruffinus, qui ali-

(*a*) *Euſeb. lib. v. hiſt. Eccl. cap.* 1 *pag.* 174.

aliquas græcas Origenis homilias, & libros antea a nobis adductos ſua latina verſione depravarat, abuſus eſt; dum illud ipſum pronuntiatum ſic tranſtulit: ut in eo & alia pro aliis, & præſertim *carnem* pro *ſanguine* poneret. Non igitur, ut Pamelius vult, ex iſta minus recta Ruffini verſione, ſed ex certis aliorum antiquorum Patrum teſtificationibus abſtinentiam carnium, quibus Eccleſia Apoſtolica in Quadrageſimæ diebus, aliiſque vigiliis abſtinuit, Critici Theologi probant.

Quis eſt autem, qui non videat, Dallæum falli, cum ea græca Bibliadis, & Euſebii verba afferat ad oſtentandam obſcuritatem plurium vocum græcarum, ac textuum, qui in veterum græcorum operibus continentur? nam & græca vox *αἷμα* Græcis vel rudibus *ſanguinem* clariſſime ſignificat, & argumentum illud ab Euſebio relatum idcirco perſpicuum eſt; quia, cum ex decreto Apoſtolico ad Eccleſiaſticam diſciplinam mutabilem ſpectante tum Chriſtianorum nemini licuiſſet, *mutorum* animantium *ſanguinem* deguſtare: eo magis humanas infantium carnes edere execrabantur ipſi priorum ſæculorum Chriſtiani, qui videlicet cum ab illius ſanguinis eſu, ut Dallæus affirmat, abſtinuiſſent, magis, magiſque has carnes hominum neutiquam comederunt; quod clariſſimum eſt. Claræ igitur ſunt Græcorum veterum voces, planæ argumentationes, apertaque monimenta, nothis Ruffini latinis verſionibus minime obſtantibus.

Num autem dubitas, quin Dallæus S. Hieronymum Ruffino fideliorem interpretem ſibi videre videatur: non illum pudet, fateri neſcire, quod neſciat, quomodo neſcit? cunctis notum eſt argumentum, quo S. Doctor, (*a*) uti antea vidimus, comprobavit, adulterinas fuiſſe Ruffini verſiones, quibus e greco in latinum Origenis libros de principiis haud probe tranſtulit; quoniam in eiſdem libris latine verſis non modo plura mutavit, ſed neque exſcripſit maximos Origenis errores: quos tamen cum S. Hieronymus in ſua latina interpretatione non omiſerit, neque ullam mutationem fecerit: hic certe illo interpres fidelior fuit ac doctior.

Atque etiam mihi Dallæus videtur non omni animi perturbatione vacare: cui quidem cenſori Conciliorum, ſeptimi, & octavi, latinæ interpretationes, quas Anaſtaſius Bibliothecarius fecit, quaſque antea defendimus, probatæ ſunt: verumtamen idem cenſor falſum hoc adiicit, quod Anaſtaſius ſuam latinam octavæ ſynodi verſionem archetypo græco præſtare velit, ac propterea fidem ab omnibus minime impetret.

Quis iſtud Dallæi figmentum non videt? Anaſtaſii namque verba, quæ jam ante retuli, hæc ſunt: „ quid„ quid in latino actionum octavæ ſy„ nodi reperitur, ab omni eſt fuco „ falſitatis (*b*) extraneum; quidquid „ vero amplius ſive de Diœceſi Wul„ garica, ſive aliunde in græco ejuſ„ dem ſynodi codice forſitan invenie„ tur, totum eſt mendacii venenis „ infectum. „

Dallæus igitur non attento, ſed perturbato animo iſta intuitus eſt; quibus Anaſtaſius aperte declarat ſuam latinam verſionem ab omni falſitate, qua Græci *Diœceſim Wulgaricam* ſibi

(*a*) *Videſis II. Diſſertationem.*

(*b*) *Anaſt. praf. in Syn. VIII. Tom. X. Conc. Lab.*

Digitized by Google

bi attribuendam, idque octavæ ſynodi canonibus addendum poſt ipſam ſynodum contendebant, alienam eſſe, & extraneam. Non igitur Anaſtaſius voluit, ſuam latinam interpretationem authographo, quod in eadem ſynodo exaratum fuit, quodque incorruptum a Dallæo ſupponitur, præſtantiorem fuiſſe. Quandoquidem ille noni ſæculi ſcriptor, qui ipſi ſynodo adſuerat, de primario ejus græco codice, quem ipſe habuerat, & in latinum tranſtulerat, locutus non eſt, cum ipſius interpretis verſio neque falſa, neve adulterina archetypum græcum inviolatum declaret. Proinde Anaſtaſius ſignificavit, ſuam interpretationem alteri græco codici, qui apud Græcos extabat, quique illius Diœceſis additamento depravatus *forſitan* inveniri poterat, præferendam eſſe.

Hic etiam Anaſtaſium ipſum craſſa latinitate abutentem cenſor ſiniſtre inducit; cum ille non pingui, ſed media latinitate Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſtico eloquio uſus ſit: quæ, ut S. Hieronymus vel ab ipſo adverſario laudatus præmonuit, dilucidam, & ſimplicem rerum Eccleſiaſticarum expoſitionem faciunt, & narrationem.

Dehinc partem doctrinæ Patrum attingere, & locum aliquem ex S. Athanaſii ſcriptis afferre Dallæus adniſus: tamen ejus loci claritatem vidit, atque affirmavit contra ſua enuntiata. Quamquam enim vetus S. Athanaſii operum latinus interpres ex falſa verſione, & Baronius ex non recta linguæ græcæ intelligentia exiſtimarint, S. Athanaſium in libro de ſynodis Arimini, & Seleuciæ teſtari, quod *Paulus Samoſatenſis a duobus Dionyſiis, Romano, & Alexandrino ſublatus fuerit:* nihilo ſecius idem Dallæus aſſeverat, Baronium, „ ſi Athanaſium „ græce legiſſet, clare animadverſu„ rum fuiſſe, a ſeptuaginta Epiſco„ pis ſublatum Paulum „ illum: quibus ipſe cenſor evertit ſuum pronuntiatum, quo ait, „ non facile eſſe „ Patrum ſcripta intelligere tum pro„ pter linguas, & idiotiſmos, cum „ propter rerum explicandarum va„ riis Rhetoricæ & Dialecticæ arti„ ficiis obſcuratam rationem. „ Hæc autem illo cenſoris argumento refelli, non percipit nemo. Etenim *clare*, atque adeo facile, ac ſine obſcuro Rhetoricæ, ac Dialecticæ artificio & illa, quæ Dallæus affirmat, & alia, quæ laudatus Photius generatim adſtruit, in S. Athanaſii operibus animadvertuntur. Ergo facile eſt, Athanaſii ſcripta, græcos idiotiſmos, eloquentiam, rerum deſcriptiones, rationes, ac dogmata intelligere, pretertim cum iſta liquido deſcribat, Photio adnotante, ac Dallæo concedente.

Jam vero S. Athanaſius eo loci, quem Dallæus attingit, clariſſime probavit, eam vocem, qua Dei Filius Patri conſubſtantialis nuncupatur, & creditur, propterea ſervandam eſſe, quia eadem unus Dionyſius Romanus Pontifex, & alter Alexandrinus Epiſcopus uſi fuerant diu ante illos ſeptuaginta Epiſcopos, qui anno 270. Antiochiæ congregati, depoſuere Paulum Samoſatenſem heterodoxum eodem vocabulo abutentem. Quocirca Athanaſii græca jam allata ſic in latinum a nuperis ejus operum editoribus bene tranſferuntur: *Diu namque (a) ante illos ſeptuaginta, qui Samoſatenſem depoſuerunt, duo Dionyſii extitere, quorum alter*

(a) *S. Athan. de Syn. Arim. & Seleuc. Tom.* 1 *pag.* 757.

Digitized by Google

alter Romæ, alter Alexandriæ Epiſcopus erat.

Quæ autem de S. Catharina Martyre (*a*) jam dicta ſunt: ea Dallæus hic repetit, Baronium falſo accuſans, quod iſte hæc Euſebii (*b*) φυγῆ Ζημιώτας de illius fuga intellexit. Aſt φυγή vel fugam, vel exilium, & Ζημιόω aut damnum inferre, aut ignominia notare, aut punire adſignificat, quemadmodum (*c*) Pauſanias, ac Budæus docent. Non igitur a Dallæo in invidiam vocandus erat Baronius, qui Græcos ſecutus, & periphraſi uſus, expoſuit, virginem illam, quæ impudicum Maximini amorem interruperat, ab eo *bonis omnibus ſpoliatam*, ac ſic quaſi *ignominia notatam*, fugæ ſe commendaſſe: quod quamvis obſcurum haud ſit: nihilominus illas græcas Euſebii voces Valeſius clarius ſic in latinum vertit, ut id ſignificent, quod eam Maximinus *exilio damnavit:* (*d*) quæ verba tamen, uti prædiximus, de S. Catharina Martyre accipi nequeunt.

Sed nunc opus eſt tuto, claro, atque integro Origenis loco; de quo modica in falſum aucta Dallæus retulit; cujus mendacia antecedentibus, & conſequentibus Origenis improbantur; qui Celſo quærenti, *quinam* angeli ſint: „ (*e*) reſpondet, „ fatemur, Angelos eſſe *adminiſtratorios:* „ *Spiritus in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis:* „ (*f*) illos modo ad „ puriſſima, eaque cæleſtia loca, aut „ etiam ſupra cælos ad puriores ſe„ des aſcendere, Προσαγοντας τας τῶν „ ανθρωπων ἐντεύξεις, ad offerendas „ hominum preces: modo illuc de„ labi, ut unicuique afferant, quod „ illi Deus pro meritis conferri juſ„ ſit. Etſi vero Angeli, quos a ſuo „ officio ſic appellatos didicimus, Dii „ etiam aliquando in ſacris ſcriptu„ ris nominantur, propterea quod „ divini ſunt: nuſquam tamen ibi „ præceptum reperias, ut, qui Deo „ debetur cultus, eodem proſequa„ mur eos, quorum nobis miniſtran„ di, Deique dona afferendi nego„ tium eſt. Nam omnes poſtulatio„ nes, precationes, orationes, gra„ tiarum actiones ad Deum oportet „ dirigere per ſummum Sacerdotem „ omnibus Angelis ſuperiorem, & ver„ bum vivum & Deum. Quin & „ hoc ipſum verbum orabimus, il„ li feremus preces, illi gratias age„ mus, illi vota faciemus: ſi modo „ propriam precationis poſſumus ab „ impropria ſecernere notionem. „

Hanc Origenis auctoritatem, præſertim quæ preces noſtras a ſanctis Angelis ad Deum *adducendas*, ſive *offerendas* ſpectat, auferre Dallæus conatus eſt, dum nihil tale, quod ad rei ſubſtantiam attinet, in illo Origenis Opere extare affirmat, & fallit mendaciis. Quamvis enim Chriſtoforus ille, quem cenſor ipſe affert, plures græcas Origenis voces ſua verſione miſcuerit, & *Angelum* pro Angelis poſuerit: nihilominus iſta, *preces* ſunt *ad Deum per Angelos tranſmittendæ, fere*. Continentur in illo græco, ac genuino Origenis textu, nimirum προσαγοντας εντευξεις, quæ haud obſcure denotant, plures Angelos a Deo quodammodo præfectos, aut

(a) *Differt. II.*
(b) *Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccl. c. 14. pag. 351.*
(c) *Pauſ. ad Phil.*
(d) *Euſeb. ibid.*

(e) *Orige. lib. v. contr. Celſ. num. 4. pag. 579. Tom. 1.*
[f] *ad Heb. 1.*

aut conſtitutos eſſe, ut *hominum preces* excipiant, ipſique Deo *offerant*, ſive ut per eos eædem *preces*, atque adeo vota ad Deum deferantur: quod cum in iis illo græco Origenis textu inveniatur, ab eoque ſignificetur, atque a Chriſtophoro in latinum quadamtenus recte transferatur: non ſolum nobis ſufficit, ſed quoque monſtrat, Dallæum mentiri, qui nihil tale in eo loco haberi aſſeverat: nec tamen idem Chriſtophorus aut Origenis Præfationem in libros contra Celſum, aut alia ſubſequentia textus modo adlegari græca verba bene in latinum vertit. Quandoquidem Origenes verbis illis vel a Dallæo in latinum recte translatis non dixit, *unum Angelum*, qui preces noſtras excipiat, a Deo præfectum fuiſſe; ſed protulit, Chriſtum *Deum*, & hominem *ſupra Angelos* eſſe: cui quidem vota, preces, & gratiarum actiones, quæ latriæ *cultum Deo debitum* includunt, fieri debent: verumtamen ſanctos Angelos etiam precari poſſimus, quæ preces impropriæ ab Origene appellantur; quod videlicet iſtæ non latriæ cultum, ſed Duliæ venerationem proprie contineant. Itaque Origenes liquido tradit, *hominum* preces a ſanctis Angelis *Deo offerri*, aut per eos ad Deum tranſmitti, & adduci; noſque iiſdem Angelis preces facere poſse.

Clemens vero Alexandrinus ſuo integro contextu græco, quem Dallæus latine omiſit, baptiſmatis Sacramentum a Sacramento Confirmationis plane diſtinguit, dum de S. Joanne Apoſtolo hæc narrat: „ Cum ergo ad „ quandam (*a*) Urbem veniſſet haud „ longe diſſitam a Civitate Epheſo, „ cujus etiam nomen a nonnullis refertur; Fratreſque ſuis ſermonibus „ conſolatus fuiſſet: ad extremum viſo juvene quodam ſtatura corporis „ egregio, vultu non invenuſto, & „ ferventi indole prædito; converſus „ ad eum, quem ordinarat ἐπίσκοπον „ Epiſcopum: hunc, inquit coram „ univerſa Eccleſia, & ſub teſtimonio Chriſti, ſtudioſe tibi commendo. Cum vero Epiſcopus eum juvenem ſuſcepiſſet, & curæ ſibi in „ poſterum fore pollicеretur: iterum „ Joannes eadem, quæ prius, mandare, & conteſtari non deſtitit. „ Poſt hæc Joannes quidem Epheſum regreſſus eſt: (*b*) πρεσβύτερος „ Presbiter vero adoleſcentem ſibi „ traditum in domum ſuam ſuſcepit, educavit, fovit atque continuit. τὸ τελευταῖον ἐφώτισε· καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας, καὶ παραφυλακῆς· ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου: (*c*) tandem eum baptizavit; & „ poſt hæc Sacerdos de priſtina cura, „ atque cuſtodia paulatim remiſit; „ cum amplius ipſum Domini ſigillo velut cuſtode confirmaſſet. „

Quare Dallæus perperam objicit, quod Clemens Domini ſigillum eſſe Sacramentum Confirmationis non dixerit: quæ argutio eo refutatur; quia neque Clemens baptiſma Sacramentum græce, & expreſſe appellavit; ſed tamen, ut vident Theologi, qui græca ſciunt, illa voce hoc intellectum voluit: ſicut ergo *baptizandi* verbo Sacramentum baptiſmatis intellexit: ita *Sigilli*, & *Confirmandi* voci-

(a) *Clem. Alex. apud Euſ. lib. 3.* *hiſt. Eccl. cap.* 23. *pag.* 100.
(b) πρεσβύτερος *presbiter*.

(c) *ἐπιστήσας* ab *ἐπὶ*, & *ἵστημι* ducitur quod ſuperfirmare, & *confirmare* ex Ariſtoteli, aliiſque ſignificat.

Digitized by Google

vocibus ſignificavit Confirmationis ſacramentum a baptiſmo diſtinctum; quippe quod illi juveni *baptizato poſt*, *& amplius* traditum fuerit: quæ Dallæus debuit aſpicere, & Ruffinum, quem antea carpſerat, mittere; (*a*) qui ſane quædam Euſebii græca in latinum non tranſtulit, aliis additis, aliiſque mutatis.

At enim latina græcæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebii verſio, quam Chriſtophorſonus adornavit, integra haud eſt, ac laborat ex aliquo; ſicuti in eo loco perſpicitur, ubi Euſebius affert Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſtolam, in qua & S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi martyrium, & Paganorum tumultus, quo ejuſdem martyris Corpus Chriſtianis dandum negabant, deſcribuntur; cujus tumultus græcam deſcriptionem in latinum Valeſius ſic vertit: „ quidam ſuggeſſerunt Nicetæ (*b*) Herodis Patri, Fratri autem Dalces, ut Proconſulem adiret, moneretque, ne cadaver illius donaret, ne forte, ut dicebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent; & iſti quidem hæc dicebant ſuggerentibus, atque inſtantibus Judæis; qui etiam noſtros ſollicite obſervaverant, cum e rogo corpus auferre tentarent. Stulti, qui ignorarent, nos nec Chriſtum unquam poſſe relinquere ...., nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei προσκυνοῦμεν adoramus. Martyres vero tanquam diſcipulos, & imitatores Domini merito amore proſequimur. „

Hæc pateſaciunt, cultum illum, quo Eccleſiaſtici Smyrnenſes *alium quempiam colendum* eſſe inficiabantur, propriam, & ſtrictam adorationem fuiſſe: Chriſtum enim *utpote Filium Dei* a ſe *adorari* veteres illi ſtatim ſubjunxere: qui proinde non ſimpliciter, ut Dallæus falſo argumentatur; ſed ea *adorationis* ratione illico addita negarunt, *alium* quempiam *coli*, videlicet cultu latriæ, quæ uti pium *amorem*, quo *martyres*, cæteroſque ſanctos ipſi antiqui Eccleſiaſtici *proſequebantur*; ita Duliam, ſive religioſum cultum eadem latria inferiorem, qui Chriſti martyribus, & ſanctis tribuitur, minime excludit. Illi igitur Eccleſiaſtici Smyrnenſes plane locuti ſunt, & argumentati.

Dehinc S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus de jejunio antepaſchali ſic agit: (*c*) οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, ϗ πλείονας οἱ γὰρ τεσσαράκοντα, ὥρας ἡμερινὰς, ϗ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τ ἡμέραν αὐτῶν. Quidam enim exiſtimant, unico die ſibi eſſe jejunandum, alii vero duobus, & plures alii quadraginta, horis diurnis, nocturniſque diem ſuum commetientes. „

Et quidem poſt τεσσαράκοντα *quadraginta* virgulam (*d*) Ruffinus ſtatim appoſuit; quam etiam eruditus Savilius in ſuo græco Euſebii codice legit; Eandemque habet ipſius Hiſtorici codex Regius Pariſienſis. Eaque virgula hac ratione comprobatur, quia Irenæus de illis *pluribus*, qui *quadraginta* diebus *jejunandum* putabant, addidit, quod *horis diurnis*,

Diſſert. V. E

(a) Chriſtophorſonus, & Valeſius illa Euſebii græca haud recte in latinum verterant, pluribus adjectis.

(b) *Euſeb. Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 15. pag. 14- & ſeqq.*

[c] *S. Iren. in Epiſt. ad Vict. R. P. apud Euſ. lib v. Hiſt. Eccl. c. 24*

[d] *Ruff. Lib. v. Hiſt. Eccl. Euſeb.*

nis, *nocturniſque* unumquemque jejunii ſui *diem commetirentur*. *Horæ* autem *diurnæ*, *nocturnæque* unius diei naturalis vigintiquatuor ſunt; non ſunt quadraginta; qui numerus proinde non ad illas horas, quas ultimo loco Irenæus attulit, ſed ad eos *dies*, de quibus proxime antea verba fecit, refertur. Hinc Dallæus falſo dicit, quod græca Irenæi nihil hujuſmodi tinniant, ſed ſignificent, fuiſſe, qui diem ſuum eſurialem horis quadraginta, diurnis, nocturniſque, metirentur. Etenim iſtæ *horæ ut diurnæ*, ac *nocturnæ* e græco Irenæi textu expreſſæ, & *diem* conſtituentes, non quadraginta, ſed viginti quatuor ſemper apud omnes fuere, recte igitur vox τισσαράκοντας *quadraginta* ſtatim poſt ſe virgulam habet, ac *dies* prius nominatos, non *horas* poſterius ſubjunctas, reſpicit, hoc itaque plano modo Irenæus indigitavit, antepaſchale quadraginta dierum jejunium a *pluribus* Chriſtianis veteribus adibitum eſſe; atque unumquem diem eſurialem horis *diurnis* duodecim, & duodecim *nocturnis* conſtitiſſe.

Sed me etiam alia movet ad refellendum Dallæum; qui clarum teſtimonium, quod fidei Liberii R. Pontificis quarto ſæculo illuſtris Sozomenus quinto ſæculo clarus impertitus eſt, elevare fruſtra conatur, iſtius ſcriptoris antecedentibus, non conſequentibus, memoratis; quorum proinde utrumque afferamus neceſſe eſt. Nam Sozomenus ſcripſit, quod (*a*) Conſtantius Liberium „ ιβιαπτο cæpit compellere, ut filium „ Patri non conſubſtantialem profi- „ teretur. Inſtabant, & Imperato- „ rem ad hoc impellebant Baſilius, „ Euſtachius, & Eleuſius, qui præ- „ cipua apud ipſum auctorinate pol- „ lebant: qui cum ea, quæ contra „ Paulum Samoſatenſem, & contra „ Photinum Epiſcopum Sirmii decre- „ ta fuerant, ac præterea fidei for- „ mulam in dedicatione Antiochen- „ ſis Baſilicæ editam in unum tunc „ libellum conjeciſſent; perinde qua- „ ſi quidam ſub obtentu vocabuli „ conſubſtantialis propriam hæreſim „ ſtabilire conarentur: effecerunt, ut „ Liberius, & Athanaſius, & Ale- „ xander, Severianus, & Creſcens „ Africæ Epiſcopi conſentirent. Con- „ ſenſerunt pariter Urſacius, & Ger- „ minius Epiſcopi Sirmii, & Valens „ Murſæ, & quotquot ex Orientis „ partibus aderant Epiſcopi. Sed & „ confeſſionem a Liberio viciſſim ſu- „ ſceperunt, qua eos, qui filium ſe- „ cundum ſubſtantiam, & per om- „ nia Patri ſimilem non eſſe dicerent, „ alienos ab Eccleſia pronuntiaret: „ nam cum Eudoxius, & qui cum „ illo opinioni Ætii favebant, An- „ tiochiæ Hoſii Epiſtolam accepiſ- „ ſent; ſparſis rumoribus divulgave- „ rant, Liberium quoque conſubſtan- „ tialis vocabulum condemnas ſe, & „ Filium Patri diſſimilem confiteri. „ His per occidentalium legatos con- „ fectis, Imperator Romam redeun- „ di poteſtatem Liberio conceſſit. Scri- „ pſerunt etiam Epiſcopi, qui ſir- „ mium convenerant, ad Fælicem, „ qui tum Romanæ Eccleſiæ præſi- „ debat, & ad clerum ejuſdem civi- „ vitatis, ut Liberium ſuſciperent; „ utque ambo ſedem Apoſtolicam gu- „ bernarent, & ſimul ſacerdotio fun- „ gerentur abſque ulla diſſenſione; „ &

[*a*] *Sozom. lib. iv. Hiſtor. Eccl. cap. 15. pag. 147.*

„ & quicquid moleſtiæ acciderat pro-
„ pter Fælicis ordinationem, atque
„ abſentiam Liberii oblivioni trade-
„ rent, nam Liberium utpote virum
„ undequaque egregium, & qui ἀν-
„ δρείως ὑπὲρ τοῦ δόγματος ἀντιτείνον-
„ τα τῷ Βασιλεῖ pro dogmate forti-
„ ter reſtitiſſet Imperatori, popu-
„ lus Romanus impenſe dilige-
„ bat, adeo ut ejus cauſa graviſſi-
„ mam ſeditionem excitaverit, &
„ ad cædes uſque proruperit, poſt hæc
„ vero cum Fælix modico tempore
„ ſupervixiſſet: Liberius ſolus Eccle-
„ ſiam adminiſtravit, quod quidem
„ Divina providentia ita diſpenſa-
„ vit, ne ſedes Petri dehoneſtaretur
„ a duobus Prælulibus ſimul guberna-
„ ta. Quod diſcordiæ ſignum, &
„ ab Eccleſiaſticis legibus alienum
„ eſt. „

Nihil iſto ſermone clarius, in quo primitus vox ἐβιάζετο *conatum* eſſe ſignificat, quemadmodum de illa docet (*a*) Ammonius. Hinc quamvis Valeſius eandem vocem bene ita verterit, cepit *compellere*: tamen melius illo alio modo in latinum transfertur, ac Sozomeni textus prior ſic redditur: „ Conſtantius conatus eſt, „ ut Liberius filium Patri non eſſe „ conſubſtantialem profiteretur. „

Non igitur, uti Dallæus perperam interpretatur, Conſtantius Liberium *compulit*, aut cogendo induxit, ut Dei Filium Patri conſubſtantialem non eſſe fateretur: Sed id fallaciæ Conſtantius fruſtra conatus eſt; quippe cujus conatui Liberius obſtitit; quæ res geſta ex Sozomeni ſubſequentibus, atque connexis evidenter oſtenditur; in quibus ſcriptor ille palam teſtatus eſt, quod Liberius *pro dogmate Imperatori fortiter reſtitiſſet*. Dogma autem ipſum erat Dei filium Patri eſſe conſubſtantialem: quod evertere Conſtantius impie conabatur; hoc ergo dogma Liberius defendit, hoc profeſſus eſt, ac pro hocce *fortiter reſtitit Imperatori*; cujus proinde *conatus*, quem illud verbum græcum ſignificat, irritus fuit quo argumento, ac reliquis Sozomeni dictis ea quæ Dallæus, aliique objiciunt, refelluntur. Hinc enim Baſilius, Euſtathius, & Eleuſius Epiſcopi Ariani ſolum effecerunt, ut Liberius Pauli Samoſateni, & Photini errorum damnationi conſentiret; non ut conſubſtantialis vocabulum, quo idem Hæretici Ariani in libelli ſui male ſani parte abuſi fuerant, condemnaret. Quoniam huic damnationi ille Pontifex ſummus non modo non conſenſit; verum etiam fortiter repugnavit, Sozomeno teſte, cujus teſtificatione, ac græco verbo deinceps allato, non autem Chriſtophorſoni verſione deficiente, labes, quam Dallæus Liberio temere aſpergit, eluitur, atque hic Pontifex catholicam fidem, quæ Dei Filium Patri conſubſtantialem docet; ſemper tenuiſſe monſtratur: qui etiam *pronunciavit*, eos, qui ipſum Dei filium ſecundum ſubſtantiam, & per omnia Patri ſimilem non eſſe efferiebant, a catholica Eccleſia utique alienos eſſe: in quo quidem non peccavit Liberius, quia eo pronuntiato Ætii errorem, quo is Patri filium Dei diſſimilem ajebat, coarguit, atque damnavit: ſimulque idem Pontifex a ſeipſo omnem erroris ſuſpicionem avertit, dum Dei Filium Patri conſubſtantialem eſſe propugnavit: quare cum Eudoxius,

E 2 alii-

[a] *Amm. cit. in lex. g. l.*

aliique Ætii hæreſi faventes *Sparſis rumoribus divulgaſſent a Liberio conſubſtantialis vocabulum condemnatum*, *& Dei Filium Patri diſſimilem* pronuntiatum fuiſſe: certe ii ſerpentes rumores, quos nonnulli veteres excipiebant, & de Liberio aliter, atque res erat, loquebantur, falſitate ne utiquam caruerunt, quandoquidem falſum eſt, Dei Filium Patri diſſimilem declaratum eſſe a Liberio; utpote qui impiam illam Ætii diſſimilitudinem relato ſuo *pronuntiato* eliminarit, atque proſcripſerit; quam proſcriptionem ab eo Pontifice ſummo vere latam fuiſse, Sozomenus ſine ſparſi rumoris, aut dubitationis, aut falſi enuntiati nota teſtatur. Falſum igitur eſt, Liberium conſubſtantialis vocabulum condemnaſſe: utraque enim propoſitio *ſparſis rumoribus* nitebatur: uti ergo una, ita & altera falſitatibus haudquaquam vacavit; & quemadmodum iidem ſparſi rumores de illa diſſimilitudine, quam Liberius faſſus eſſet, haud veri evincuntur; ſic ipſi rumores de conſubſtantialis vocabulo, quod is condemnaſſet, falſiſſimi commonſtrantur præſertim cum pro eo *dogmate Liberius Imperatori fortiter reſtitiſſet: quod dogma* a Liberio propugnatum eſſe adverſus Conſtantium, Soſomenus affe rit ſuis in conſequentibus; quæ dubio procul ad antecedentia referuntur, in quibus idem ſcriptor narrat, Conſtantium conatum eſſe, ut Liberium ad conſubſtantialis dogma condemnandum adduceret. Hoc itaque *dogma* in conſequentibus Sozomenus intelligi voluit: hoc Liberius non arguit: hoc deniqe tuitus eſt, *fortiter Imperatori reſiſtens:* atque adeo conſubſtantialis vocabulum non damnans, ſed *egregie* defendens. Quicquid itaque quidam veteres de iis Liberii geſtis ſecus ſcripſerunt: id ex ſparſis rumoribus falſis ortum habuit; ac proinde verum non eſt. Irriti igitur Conſtantii conatus; falſi illi rumores; veræ Liberii defenſiones fuere: quibus is conſubſtantialis vocem, dogma ac fidem ſervavit.

Dallæi quoque conatus, quos in ſacras imagines temere paravit, frangamus; qui quidem, dicimus, quod ἀναθήματα *donaria*, & λίθοι πολυτελοι, non imagines ut Chriſtophorſonus perperam vertit, ſed *gemmæ* appellantur, quas ad ornandam Hieroſolymitanam Chriſtianorum Eccleſiam Conſtantinus magnus miſit, (*a*) Euſebio referente.

Verum in Judaico templo nulla imagines extitiſſe, errore affirmat Dallæus, quem ſacer Paralipomenon textus refellit, ubi de Salomone ſanctum Domini templum edificante hæc ſcripta ſunt: (*b*) „ ſecit quoque domum Sancti Sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti: „ & latitudinem ſimiliter viginti cubitorum: & laminis aureis texit „ eam, quaſi talentis ſexcentis, ſed „ & clavos fecit aureos, ita ut ſinguli clavi ſiclos quinquagenos appenderent: cænacula quoque texit „ auro, ſecit etiam in domo Sancti „ Sanctorum מעשה צעצעים כרובים שנים „ Cherubim duos opere ſtatuario & „ texit eos auro, alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut „ una ala haberet cubitos quinque, „ &

[a] *Euſeb. Lib. III. de vit. Conſt. cap. 40 pag. 540.*

[b] *Paral. lib. II. cap. 3. v. 8. & ſeqq.*

„ & tangeret parietem domus, & al-
„ tera quinque cubitos habens, alam
„ tangeret alterius Cherub. Similiter
„ Cherub. alterius ala quinque habe-
„ bat cubitos, & tangebat parietem
„ & ala ejus altera quinque cubito-
„ rum, alam Cherub alterius con-
„ tingebat. Igitur alæ utriuſque Che-
„ rubim expanſæ erant, & extende-
„ bantur per cubitos viginti: ipſi
„ autem ſtabant erectis pedibus, &
„ facies eorum erant verſæ ad exte-
„ riorem domum. Fecit quoque velum
„ ex hyacinto purpura, coco, &
„ byſſo: & intexuit ei Cherubim. „

His Salomon imitatus Moyſen, cui Deus iſta præcepit: „ Duos quoque
„ Cherubim (*a*) aureos & producti-
„ les facies ex utraque parte Oracu-
„ li. Cherub unus ſit in latere uno,
„ & alter in altero. Utrumque la-
„ tus Propitiatorii tegant, expanden-
„ tes alas, & operientes oraculum,
„ reſpiciantque ſe mutuo verſis vul-
„ tibus in Propiatorium, quo ope-
„ rienda eſt Arca; in qua pones te-
„ ſtimonium, quod dabo tibi. Inde
„ præcipiam, & loquar ad te ſupra
„ Propitiatorium, ac de medio duo-
„ rum Cherubim qui erunt ſuper ar-
„ cam Teſtimonii, cuncta, quæ man-
„ dabo per Te Filiis Iſrael. „

Atqui iſtæ imagines vere, ac proprie erant *aureæ Cherubim* ſtatuæ: vere, ac proprie *utrumque latus Propitiatorii tegebant*, *expandentes alas & operientes oraculum: & reſpiciebant ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium*, quod & *factum erat de auro mundiſſimo*, (*b*) ut inibi Sacra Scriptura teſtatur; & *quo aperta* erat *arca*, *ſuper* quam *Cherubim* poſiti ſunt; quorum proinde ſtatuæ veræ erant ac propriæ: nam & *Propitiatorii*, ac *Cherubim auream* compoſitionem; & proprium utrumque ipſius Propitiatorii latus a Cherubim *alas expandentibus tectum*; & ipſorum poſitionem ſuper propriam *arcam* Domini, quæ omnia veris, ac propriis ſtatuis, & imaginibus certiſſime competunt, ſacer textus diſtincte recenſet. Sic igitur Cherubim imagines, quas in interiori Templi parte ſive in *domo Sancti Sanctorum* Salomon collocavit, propriæ fuerunt, & veræ. Quia Sacra Scriptura uti ipſius *domus longitudinem viginti cubitorum*, ac *latitudinem ſimiliter cubitorum viginti*; eamque domum *laminis aureis tectam* enarrat: ita exhibet *Cherubim duos auro tectos*, in eademque domo poſitos; quorum *alæ viginti cubitis extendebantur*, ipſique *erectis pedibus ſtabant*; qui *pedes erecti*, & *extenſio* illa veris, & propriis ſtatuis, ſicut viginti cubitorum latitudo, ſimiliſque longitudo veræ, ac propriæ Sancti Sanctorum domui, conveniunt. Jam vero ille voces מעשה צעצעים per ſeſe, ac primitus ſignificant *Opus motionum* ſive manuum motu, & artificio ſactum; cujus partes a ſe invicem divelli facile haud poſſunt, quales partes ſolidum ſtatuarum corpus habet: unde eadem hebræa vocabula vetus latinus interpres ſic tranſtul *fecit Cherubim duos opere ſtatuario*, vel, ut ſeptuaginta interpretes græce vertunt, *ἐκ ξύλων ex* lignis, vel etiam, ut recentior Joannes Clericus legit, *opere ſculptili*; quæ rectæ verſiones illis Hebreis vocibus reſpondentes oſtendunt, illas Cherubim imagines veras, propriaſque fuiſſe, utpote ſtatuas ſculptiles, aut factas ex li-

[a] *Ex. xxv. v. 58 & ſeq.*

[b] *Ex. 25. ver. 17.*

lignis. At ſi Rab. Salomon illa vocabula (*a*) ita explicavit, *fecit Cherubim duos opere puerorum*, ſive ad imaginem puerorum: tamen hæc explicatio eſt, non verſio ex ſervatis צעצעים litteris. Nimirum Rabbinus ille litterarum צ, & צ, quæ bis in eo Hebræo vocabulo extant, permutatione in duplicem א fecit עאעאים quod eſt idem, ac *Pueri:* quam mutationem (*b*) Calmet, & alii non obſervantes, ſacra illa vocabula hebraica ſic vertenda eſſe, *opere puerorum*, minus bene putarunt: quia ipſa duo nomina ſuis ſervatis litteris differunt: unum enim artificum *motiones*, & alterum *pueros*, qui ab illis *motionibus* aperte diſtinguuntur, per ſe adſignificat: ſi igitur illa litterarum permutatio admittatur: certe non verſio, ſed minus ſtricta enodatio videtur; qua illæ propriæ Cherubim imagines, quas idem Rab. Salomon in Templo reapſe poſitas adſtruit, non ad animalium figuras, ſed ad puerorum hominum ſpeciem factæ cenſentur, & conformatæ.

Quis nunc effutiat, cum veri imaginum characteres in illis Cherubim ſtatuis eluceant, certum & confeſſum eſſe, nullas in judaico templo imagines omnino extitiſſe? Nullas quidem fictorum numinum imagines neque in arca Teſtimonii, neque illo in Templo fuiſſe, certiſſimum eſt: ſed cum inſtituto Divino aureæ, & veræ Cherubim ſtatuæ (*c*) ſuper arcam poſitæ fuerint & expanſæ; maneatque de his ad unum omnium & Judæorum & Chriſtianorum firma conſenſio; intelligi quoque neceſſe eſt, proprias non falſorum numinum, ſed Cherubim, imagines eodem in templo fuiſſe: quia eas & Salomon *fecit*, & *auro texit in domo Sancti Sanctorum*, cujus *longitudinem juxta latitudinem*, *cubitorum* extendit: & quia ſimiliter *alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur*. Hæc veras eas imagines, utpote *factas* & *extenſas* oſtendunt; hæc doctiores omnes fatentur; hæc tamen Dallæus minime didicit, dum falſorum Deorum ſimulacra a Cherubim imaginibus nequaquam diſtinguens, haſce in judaico Templo poſitas eſſe ſubdole negavit: in quo quidem illam non fuiſſe, verum eſt: at haſce in ipſo non extitiſſe, falſiſſimum eſt, non confeſſum, non certum, non veriſimile; quod ſuperiora evidenter demonſtrant: cum Rex Salomon permanens in Moſis diſciplina, qua is ex Dei præcepto *ſuper arcam*, *duos Cherubim aureos* poſuit, quamque diſciplinam Dallæus generatim adlegavit, at ſpeciatim percipere noluit, *fecit* etiam duos *Cherubim auro tectos*, & *extenſos in domo Sancti Sanctorum*. Quid his certius? quid planius? quid magis proprium? Auferatur itaque illa Dallæi vera negantis confidentia.

Verum is obiicit, quod S. Lucas in Evangelio iſta narret de quibuſdam Judæis, ac de Servatore: „ quibuſdam dicentibus de (*d*) Templo, „ quod bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet; dixit: hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non „ relinquetur lapis ſuper lapidem. At

[a] *Rab. Salom. ap. Buxt. lex. Hebr. in voce* צעצעים.

[b] *Calm. in cit. lib. & cap. Paral.*

[c] Proprias Cherubim imagines eo dixi; quod in ſenſu improprio ſacra verba de imaginibus eorum angelorum, qui ſpiritus ſunt, & omni corpore carent, accipi nequeant; quia eorum & pedes erectos, & facies, & alas extenſas Scriptura deſcribit.

[d] *S. Luc. in Evang. Cap.* XXI. *v.* 5. *& ſeqq.*

At nemo non videt, ex his Dallæum perperam colligere, Judaicum Templum bonis lapidibus, & non imaginibus, ſed donis ornatum fuiſſe, nam ex ea generali quorundam locutione inferri non poteſt, interiorem ejuſdem Templi partem & *laminis aureis*; quæ *quaſi talentis ſexcentis* valebant; & *velo*, quod *ex hyacintho*, *purpura*, ac *byſſo* Salomon fecerat, cuique *Cherubim intexuerat*, *tectam*, atque exornatam non eſſe: quandoquidem hæc vel arcæ vel Templi ornamenta partim in Exodo, partim in Paralipomenis, partim etiam in novi (*a*) Teſtamenti ſcripturis habentur. Ergo ex eadem nonnullorum locutione, qua iſti non ſpeciatim, ſed univerſim, & breviter Templi judaici ornatum attingebant, idem templum & Cherubim imaginibus, & aliis particularibus ornamentis ſpoliatum fuiſſe, falſo colligitur.

Quamvis igitur Hieroſolymitanam Chriſtianorum Baſilicam ſanctorum imaginibus a Conſtantino magno exornatam Euſebius non dixerit: nihilominus veteri, & novo fœdere ſacrarum imaginum uſum, ac ſidem fundatam Eccleſia Apoſtolica ſpectans; Chriſti Paſtoris ſummi effigiem in calice expreſſam, ac ſanctorum imagines in Eccleſiis aut pictas, aut erectas optime voluit; id quod produnt Eccleſiaſtica vetuſtiſſima monimenta.

Sed eos Dallæi aculeos, ac tortuoſum diſputandi genus relinquamus: jam adductis aliquibus claris veterum textibus; S. Gregorii Nyſſeni teſtimonium, quod is auriculari ut vocant, confeſſioni perhibuit, impertiamur. Quamvis enim vetus ejus Epiſtolæ ad Lætojum interpres, quem Bellarminus ſecutus eſt ἐπιστροφὴν minus recte verterit *Confeſſionem*; quia illa vox græcam vel *curam* denotat vel *converſionem*: tamen alius illo recentior interpres bene vocem illam latine reddidit *converſionem*, Dallæo probante, qui ob id de illo vocabulo nullam litem facere, ſed intime legere debebat illam Epiſtolam; ubi Nyſſenus agens de baptizatorum peccantium *converſione*, & aliquos Pænitentiæ Canones addens; de illo, qui *latenti ablatione* alienum uſurpat, hoc docuit, ac poſuit quod is, ut curetur, *ſacerdoti peccatum ſuum aperire* debet *per enuntiationem*, atque adeo per confeſſionem; neque enim aliter, quam per externam *latentis oblationis enuntiationem*, quæ eſt auricularis confeſſio; *Sacerdoti peccatum aperiri* poteſt: quæ Nyſſenus inibi ſic expreſſit: „ (*b*) qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſu parſi deinde per enuntiationem peccatum ſuum ſacerdoti aperuerit; vitii ſtudio in contrarium mutato, egritudinem curabit. „

Dehinc S. Auguſtinus Fauſtum Manichæum improbe Catholicis exprobrantem, quod ii Martyrum memorias honorarent, retudit hoc modo: „ quod etiam hinc (*c*) nobis calumniatur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertiſſe; non tam movet, ut huic calumniæ reſpondeamus, quam ut ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi etiam ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe, & in vulgarem, „ at-

[a] *Vide quatuor Sancta Evangelia, & Epiſtola ad Hebr. cap. ix. v. v.*

(b) *Greg. Nyſ. in Epiſt. ad Letojum pag.* 221. *Tom* 2. *edit Pariſ. an.* 1638

(c) *S. Auguſt. lib. xx, cap. xxi. pag.* 546. *Tom* 8

„ atque poeticam Paganorum opi-
„ nionem, a quibus ſe alieniſſimum
„ cupit videri, neſcio quomodo in-
„ cautum incidiſſe. Cum enim di-
„ xiſſet, nos vertiſſe idola in Mar-
„ tyres, *quos votis*, inquit, *ſimili-
„ bus colitis*, *defunctorum umbras vi-
„ no placatis & dapibus*, ſunt ergo
„ umbræ defunctorum? nunquam hoc
„ in veſtris ſermonibus audivimus,
„ nunquam in litteris legimus; im-
„ mo contradicere ſoletis talibus opi-
„ nionibus, aſſerentes, animas mor-
„ tuorum malas minuſve purgatas,
„ aut in revolutiones ire, aut in gra-
„ viores aliquas pænas: bonas autem
„ in naves imponi, & in cælo na-
„ vigantes tranſire hinc in illud phan-
„ taſma terræ luminis, pro qua pu-
„ gnando perierant, ita nullas ani-
„ mas circa ſuorum corporum ſepul-
„ cra detineri: unde igitur umbræ
„ defunctorum? quæ ſubſtantia, ea-
„ rum, qui locus? ſed maledicendi
„ cupiditate Fauſtus, quid profite-
„ retur, oblitus eſt: aut forte dor-
„ mitans, umbras ſomniando dicta-
„ vit: nec cum verba ſua legeret,
„ evigilavit, populus autem Chriſtia-
„ nus memorias martyrum religioſa
„ ſolemnitate concelebrat, & ad ex-
„ citandam imitationem, & ut me-
„ ritis eorum conſocietur, atque ora-
„ tionibus adjuvetur: ita tamen, ut
„ nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Mar-
„ tyrum, quamvis in memoriis Mar-
„ tyrum, conſtituamus altaria. Quis
„ enim Antiſtitum in locis ſanctorum
„ corporum aſſiſtens altari, aliquan-
„ do dixit, Offerimus tibi Petre, aut
„ Paule, aut Cypriane; ſed quod of-
„ fertur, offertur Deo, qui Marty-
„ res coronavit apud memorias eo-
„ rum, quos coronavit, ut ex ipſorum
„ locorum admonitione major affe-
„ ctus exurgat, ad acuendam Cha-
„ ritatem, & in illos quos imitari
„ poſſimus, & in illum, quo adju-
„ vante poſſumus. Colimus ergo Mar-
„ tyres eo cultu dilectionis & ſocie-
„ tatis, quo & in hac vita coluntur
„ ſancti homines Dei, quorum cor
„ ad talem pro evangelica veritate
„ paſſionem paratum eſſe ſentimus:
„ ſed illos tanto devotius, quanto
„ ſecurius poſt certamina ſuperata:
„ quanto etiam fidentiore laude præ-
„ dicamus jam in vita fæliciore vi-
„ ctores, quam in iſta adhuc uſque
„ pugnantes, at illo cultu, qui græ-
„ ce λατρεία dicitur, latine uno ver-
„ bo dici non poteſt, cum ſit quæ-
„ dam proprie Divinitati debita ſer-
„ vitus, nec colimus, nec colendum
„ docemus niſi unum Deum. „

Is eſt genuinus S. Auguſtini contextus, quem Dallæus, cum verbum, *ſentimus*, in illud *cenſemus*, inconſulto mutaverit, ideo non requiſivit, ut demortuis hominibus ſanctis *religioſum*, *ſolemnem*, *devotum* ac *ſecurum* Duliæ cultum, qui ab Eccleſia declaratur, quique a *latria* diſtinguitur, errore negaret: utque gallicam neſcio quam ejuſdem textus verſionem, in qua *Devotio* pro *Dilectione* haud recte ponitur, & illud, *in hac vita*, omittitur, coargueret. Quis vero ferat cenſorem ajentem, Auguſtinum velle; non devotionem, quæ Francica lingua cultum religioſum ſonat ſed dilectionem Martyribus exhibendam eſſe! in quo Dallæus erravit, haud perſpectis Auguſtini antecedentibus, & *conſequentibus;* in quibus S. Doctor clare dixit, quod *populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*, *ut eorum Meritis conſocietur:* quodque *colimus Martyres eo cultu dilectionis*, & *ſocietatis*, *quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei*: *ſed illos*

tanto

tanto devotius, *quanto ſecurius poſt certamina ſuperata*. Hic cultus non delectarunt Dallæum; contra cujus errorem Auguſtinus aperte docuit, *Martyribus a Deo coronatis* non modo *cultum dilectionis*, verum etiam *religioſum*, & *devotum* cultum, atque adeo *religioſam* devotionem adhibendam. Si ergo illa *in hac vita*, ſingularem vim habent: certo hæc de cultu *devoto*, Martyribus tribuendo magis ſingularem, majoremve traditionis vim perſpicue denuntiant, nam iis, qui in hac vita *ad paſſionem pro evangelica veritate parati* videntur, non tutus, nec ſolemnis, ſed dubius, ac privatus *dilectionis* cultus; qui ad Eccleſiæ militantis *ſocietatem* pertinet adhibetur: quia & iſti *homines Dei adhuc pugnant*, & proinde dubia eſt eorum victoria. Sed *illi* Martyres, quorum *memorias religioſa ſolemnitate* populus Chriſtianus concelebrat, in *vita fæliciore victores* jam ſunt, ac ſic non ſola *dilectione*, quæ Dei *hominibus* in mortali vita *pugnantibus* exhibetur, ſed etiam *religioſa ſolemnitate*, & *devota*, quæ ſanctis in cœlo *victoribus* convenit, utique coli debent, propterea quod S. Auguſtinus & illam *ſolemnitatem* præmiſit & ei *dilectioni* ſuo latino, veroque contextu, quanquam in Gallicanam Linguam non æque bene tranſlato, liquidius addidit, quod iidem ſancti in *vita fæliciore victores tanto devotius*, *quando ſecurius colantur*. Hanc *fæliciorem vitam* a mortali *vita* ſecreta; hanc viventium *Dei hominum*, *victorumque* ſanctorum differentiam: hanc denique cultuum diſtinctionem Dallæus, ut ſibi erranti blandiretur, perſpicere noluit, atque laudare.

Sed idem cenſor furit de Franciſco Veroni; qui ne transferre quidem de Græco in Francicam linguam, at brevi exponere eum S. Lucæ locum videtur, in quo is ſacer ſcriptor ait: „ erant (*a*) autem in Eccleſia, quæ „ erat Antiochiæ, prophetæ, & Doctores in quibus Barnabas, & Simon, „ qui vocatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat „ Herodis Tetrarchæ collactaneus, „ & Saulus. λειτυργύντων δὲ αὐτῶν „ τῷ κυρίῳ, miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit „ Spiritus Sanctus: ſegregate mihi „ Saulum, & Barnabam, in opus, „ ad quod aſſumpſi eos. „

Sic ea græca verba antiquus interpres latinus bene vertit nam λειτυργέω miniſtrare, aut publicum munus obire, atque etiam ſecundum Eccleſiaſticos græcos ſcriptores cum veteres, tum recentes ſacrificare ſignificat; quare S. Paulus Apoſtolus de veteris Teſtamenti ſacerdotum officio ſic loquitur: „ (*b*) omnis quidem ſa„ cerdos præſto eſt quotidie λειτυρ„ γῶν miniſtrans, & eaſdem offerens „ hoſtias. „ ubi *miniſtrare* idem eſt, ac ſacrificare, ſive *hoſtias offerre*; quod illius *ſacerdotis* munus erat. Atqui Simon Niger, Lucius, & Mana„ hen, quos S. Lucas recenſet, Epiſcopi, & Novi teſtamenti ſacerdotes erant atque Doctores. Hos igitur *miniſtrare Domino* idem ex græco illo verbo ſignificat ac Domino ſacrificare quod de *illis* Miſſam dicentibus explicandum, & melius intelligendum Franciſcus Veroni vulgari modo curavit: non igitur hujus, ſed cenſoris temeritas, & impudentia, qua verecundiæ fines tranſit, reprimenda eſt.

Diſſert. V. F At

(*a*) S. *Act. Apoſt. cap.* XIII. *v.* 1. & 2.

(*b*) S. *Paul. Apoſt. ad Heb.* x. x. *v.* x..

At ne invidia verborum labefactetur Oratio, neve græcorum grammaticorum & logicorum ignoratione vexetur: jam ſumat Dallæus in manus Theodoreti Dialogos; in quibus is contra Eutychianos agit de Chriſti Humanitate in Divinam naturam haud mutata poſt unionem, poſtve aſcenſionem in Cœlum.

Hinc Theodoretus, uti in Dialogo I. & II. perſpicitur, hæc probat, Humanitatis Chriſti & ſubſtantiam & proprietates & accidentia in Divinam naturam converſa non eſſe; præſertim cum in hac vita Humanitas eadem paſſionibus, quæ nullo pacto Divinæ ſubſtantiæ perfectiſſimæ, & immutablli congruere poſſunt, ſubjiceretur.

Atque ubi ipſius humanitatis ſubſtantiam mutatam non fuiſſe in Divinam ſcriptor ille vicit: tum ejuſdem humanitatis proprietates, & accidentia in Divinam naturam mutata non fuiſſe commonſtrat Euchariſticorum ſymbolorum exemplo; quo cum Eutychiani abuterentur: nullumque diſcrimen inter Humanam ſubſtantiam, interque ejus proprietates & accidentia facerent: ſubinde Theodoretus aſſeruit, ea *ſymbola Myſtica* eſſe *corpus* (*a*) *Chriſti*, *& Sanguinem*, neque adeo illa eſſe panis, & vini ſubſtantias neque iſtas ineſſe in Euchariſtia; nec Chriſti corpus in Divinam ſubſtantiam prorſus immutabilem, ac ſpiritalem ullo modo potuiſſe converti; nec demum ipſius corporis qualitates in Divinitatem fuiſſe mutatas; ſed haſce in illo ipſo corpore manſiſſe: quemadmodum ſymbola, *myſtica manent* ἐπι τῆς προτερας οὐσίας ϰ τῆ σχηματος, ϰ τῆς εἰδις *in prioris ſubſtantiæ & figura & ſpecie.* (*b*) Jam agnoſce & græcum hunc textum, & Dallæum novum grecum fortaſſe grammaticum, ſed logicum perturbatum, vanoſque ſimulate argutationis fumos vendentem, atque ajentem, latinam illorum verborum græcorum verſionem; qua doctiſſimus Cardinalis Peronius græco illi genitivo τῆς προτερας οὐσίας *prioris ſubſtantiæ* adhæſit, græcorum ſtylo repugnare, quæ repugnantia eo evaneſcit; quia antiquiores Græci partitionis ſubjectum in gignendis caſu ſæpe collocant; quod ex græco S. Matthæi Evangelio antiquitus ſcripto oſtenditur; in cujus initio iſta leguntur: Βιβλος γενέσεως ἰησοῦ, χριστου, υἱοῦ δαβιδ, υἱοῦ αβρααμ *liber generationis* (*c*) *Jeſu Chriſti*, *Filii David*, *Filii Abraham*: ubi in gignendi caſu *Filii* υἱοῦ υἱοῦ nomen, quod eſt præcipuarum illius narrationis partium, *David Abraham*, fundamentum, græce ponitur, ac latine transfertur. Non igitur certum, ſed falſum eſt, illam Peronii interpretationem non modo novam eſſe & inauditam; verum etiam Græcorum ſtylo, ac Theodoreti ſcopo adverſari: qui Dallæi locus a falſitate vacuus non eſt; poſteaquam enim S. Matthæus ſuum Evangelium hebraice conſcripſiſſet, ſtatim quidam Eccleſiaſticus græcus illud in græcam linguam ita optime tranſtulit: ut S. Hieronymus linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritiſſimus latinam ſuam ejuſdem Evangelii verſionem ad græcum textum exegerit, ac ſicut ipſe loquitur (*d*) *græcæ fidei reddiderit:* qua *fide*, & ingenii benefi-

cio

(a) *Theod. Dial. 2. pag 84. Tom. III.*
(b) *Theod. ibid.*

(c) *S. Matth. in Evang. cap. 1. v. 1.*
(d) *S. Hier. in Præf.*

cio cum vetuſtiſſimus ille ſcriptor græcus, tum S. Hieronymus præſtantes: ad allatam *Davidis*, & *Abrahæ* diviſionem μοῦ *Filii* genitivum græce, & latine adhibuerunt, atque hunc Græcorum, latinorumque interpretum ſtylo haud repugnare monſtrarunt: a quibus Theodoretus in re Euchariſtiæ nec diſſenſit, nec tranſubſtantiationi Euchariſticæ adverſatus eſt. Nam Humanitatis qualitates, uti monuimus, in Chriſto manere ſuaſurus; ex ſymbolis Euchariſticis, quæ qualitates, & accidentia vocantur, ac ſolum poſt conſecrationem in Euchariſtia remanent, aliquam ſimilitudinem duxit, ajens in ea *manere* τῆς προτηρας οὐσιας *prioris ſubſtantiæ & figuram & ſpeciem*: quæ cum ſint ejuſdem ſubſtantiæ partes externæ; profecto ſcriptor iſte ex veterum more ipſam ſubſtantiam tanquam logicum illarum partium ſubjectum in gignendi caſu græce poſuit; quo in latinum verti debet; ſicuti id adducti Evangelii exemplo docuimus; quod etiam monet, Perronium non novo, ſed antiquo Græcorum ſtylo uſum fuiſſe, ac Theodoretus quidem eaſdem partes in ipſo genitivo caſu græce attulit: ſed tamen particulam καὶ ſive & non ſubſtantiæ, ſed & *figuræ & ſpeciei* appoſuit, nempe ut eas partes a ſubſtantia ſecretas notaret. Denique latina eadem, quam ſequitur, Theodoreti verſio ejus menti neutiquam adverſatur: quippe qui hic tantum Euchariſticarum ſpecierum, quas Eutychiani obtendebant, exemplo probavit, Humanitatis qualitates in Chriſtò poſt unionem manſiſſe, uti *myſtica ſimbola manent in prioris ſubſtantiæ figura*, ac *ſpecie* quod de Humana Chriſti ſubſtantia Theodoretus nunquam protulit; ac proinde voluit, non Humanam Chriſti ſubſtantiam eſſe converſam in Divinitatem: ſed panis, ac vini *ſubſtantiam priorem* extitiſſe, ac ſubinde conſecratione mutatam eſſe in *Chriſti corpus*, & *ſanguinem manentibus* tamen & *figura & ſpecie*; quod Euchariſticæ tranſubſtantiationi, & plano illi Theodoreti propoſito favet, atque conducit.

Expoſitis hiſce ſententiis; agamus de deficiente inſcriptione illius Epiſtolæ quam ad Miltiadem R. Pontificem, ut is concilium adverſus Donatiſtas cogeret, Conſtantinus magnus miſit; ipſamque ita inſcripſit, ac texuit: „ (a) Conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo urbis Romanorum, καὶ Μάρκῳ & Marco, quoniam hujuſmodi plures libelli a viro clariſſimo Anulino Africæ Proconſule ad me ſunt miſſi, in quibus continetur, Cæcilianum Carthaginenſium urbis Epiſcopum a quibuſdam Collegis ſuis per Africam conſtitutis, multis de cauſis inſimulari, Quod quidem permoleſtum mihi videtur, in iſtis Provinciis quas divina providentia meæ devotioni ſpontanea devotione tradidit, & in quibus maxima eſt populi multitudo, plebem quaſi in duas pattes diviſam ad deteriora deflectere, Epiſopos inter ſe diſſentire, placuit mihi, ut idem cæcilianus una cum decem Epiſcopis qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget, ut ibi coram vobis & coram Reticio, materno, ac

(a) *Conſt. Ep. ad Milt. apud Euſeb. Hiſt. Eccl lib. x. cap v. pag. 439.*

„ Marino collegis veſtris, quos ea cauſa Romam properare juſſi, poſſit audiri, quemadmodum ſanctiſſimæ legi convenire optime noſtis, porro ut totius negotii pleniſſimam valeatis haurire notitiam exempla libellorum ab Anulino ad me miſſorum, litteris meis ſubjecta ad collegas veſtros ſupra dictos tranſmiſi, quibus lectis perpendet gravitas veſtras, quoniam modo ſupra memorata controverſia accuratiſſime dijudicanda ſit, & ex preſcripto juſtitiæ terminanda: ſiquidem nec Tuam ſedulitatem latet, tantam a me reverentiam ſanctiſſimæ Eccleſiæ catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum ſchiſma, aut diſſidium vobis relinqui velim. Divinitas ſummi Dei multis vos annis ſervet τιμιώτατε Honoratiſſime. „

Ac S. Optatus (*a*) Milevitanus Epiſcopus de illo Concilio hæc ſcripſit: „ ad urbem Romam ventum eſt ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Fauſtæ in Laterano, Conſtantino ter, & Licinio ter conſulibus, ſexto nonas octobris, die ſexta feria. Cum conſediſſent Miltiades Epiſcopus urbis Romæ, & Reticius, & Maternus, & Marinus, Epiſcopi Gallicani; & Merocles a Mediolano, Florianus a Cæſena, Zoticus a Quintiano, ſtemnius ab Arimino, Fœlix a Florentia Juſcorum, Gaudentius a Piſis, Conſtantius a Faventia, Proterius a Capua Theophilus a Benevento, Savinus a Terracina, ſecundus a Præneſte, Fælix a tribus Tabernis, Maximus ab Oſtia, Evandrus ab Urſino, Donatianus a Foro Claudii. His decem & novem conſidentibus Epiſcopis cauſa Donati, & Cæciliani in medium miſſa eſt a ſingulis. In Donatum ſunt hæ ſententiæ latæ: *quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt*. Teſtes inducti a Donato confeſſi ſunt, ſe non habere, quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus; etiam Miltiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt. „

Si hæc omnia Dallæus legiſſet: nihil objectaſſet. Nam mendum in ipſa epiſtolæ inſcriptione non latet; cui deeſt aliqua pars, quæ videlicet *Marci* dignitatem non affert. Sicuti enim in illa *Miltiadis* dignitas habetur, cum *Epiſcopus Urbis Romæ* exprimatur: ita ſi integra omnino eſſet inſcriptio; etiam Marco dignitatem tribueret; aut, quis iſte fuerit, declararet: quam declarationem cum eadem inſcriptio non habeat: dubio procul mendoſa eſt; eique recens librarius imperitus Marci nomen appoſuiſſe videtur. Siquidem ille Marcus tunc Conſul non erat, quia nullus hujuſce nominis Conſul quarto ſæculo poſt cujus initia & Conſtantinus Magnus illam Epiſtolam ſcripſerat, & laudata Synodus celebrata fuerat, in faſtis Idatii reperitur; (*b*) quæ Synodus præterea non Marco, ſed Conſtantino, & Licinio Conſulibus coacta fuit, uti S. Optatus eodem quarto ſæculo illuſtris teſtatur. Valeſius (*c*) autem putat, Marcum hunc fuiſſe illum, qui poſt Sylveſtrum Pa-

(a) *S. Optat. lib. 1. cont. Parm.*
(b) *Vide faſt. Idatii in Tom. II. Sirm. pag. 247.*
(c) *Valeſ. in notis ad Euſeb. pag. 429. & ſeq.*

Papam Romanus Epiſcopus fuit, quemque ſecundum Conſtantini ſignificationem eidem Romano Concilio interfuiſſe, anonymus auctor Synodici indigitat. Verum is noni ſæculi ſcriptor hæc habet: (*b*) „ Synodus „ divina, & Sacra Provincialis, col- „ lecta Romæ a Miltiade ſanctiſſimo „ Papa, & Marco Sanctiſſimo, & „ Cæciliano Carthaginis Epiſcopo, „ ſuper unione Epiſcoporum. „ In quibus quis non cernit illius libelli ſinodici auctorem deceptum? neque ulla monimenta Eccleſiaſtica eo anonymo ſcriptore antiquiora produnt illam Romanam Synodum etiam a Cæciliano collectam fuiſſe: ſed laudatus S. Optatus, ac S. Auguſtinus referunt, ipſum Cæcilianum a Donatiſtis accuſatum, ejuſque cauſam delatam eſſe ad prædictum Romanum Concilium; de quo idem Auguſtinus Donatiſtis iſta dixit: „Scitote, (*a*) quod „ primi majores veſtri cauſam Cæ- „ ciliani ad Imperatorem Conſtan- „ tinum detulerunt.. Sed quia Con- „ ſtantinus non eſt auſus de cauſa „ Epiſcopi judicare; eam diſcutien- „ dam, atque finiendam Epiſcopis „ delegavit, Quod & factum eſt in „ urbe Roma, Præſidente Melchiade „ Epiſcopo illius Eccleſiæ cum mul- „ tis collegis ſuis, qui cum Cæcilia- „ num innocentem pronuntiaſſent, „ & Donatum, qui ſchiſma Cartha- „ gine fecerat, ſententia percuſſiſſent: „ iterum veſtri ad Imperatorem Ve- „ nerunt, de judicio Epiſcoporum; „ in quo victi fuerant, murmura- „ runt. Quomodo enim poteſt ma- „ lus Litigator laudare judices, qui- „ bus judicantibus victus eſt? „

Nunquam igitur Conſtantinus, Optatus, & Auguſtinus aut protulerunt, aut denotarunt, a Cæciliano quoque Synodum illam Romanam collectam eſſe; ſed id ſignificarunt, Cæcilianum eundem, quem Donatiſtæ ad Conſtantinum *detulerunt*, rerum prætenſum, ideoque ipſius *Epiſcopi* cauſam, quam jure capere ipſe Imperator *auſus non eſt*, ad Pontificem Romanum delatam ab iſtoque illum innocentem *ultima ſententia*, quam idem Auguſtinus (*c*) alibi exponit, pronuntiatum fuiſſe. Non igitur Cæcilianus utpote accuſatus, ac reus prætenſus, collegit etiam illud Concilium; ac propterea id falſo auctor libelli ſynodici aſſerit. Sed Conſtantinus aliquos Epiſcopos Romam miſit, eiſque *cauſam diſcutiendam delegavit*, ſive ejuſdem cauſæ diſcutiendæ, *de qua judicare* Imperator ipſe *auſus non fuerat*, onus impoſuit: qui Epiſcopi poſtquam Romam venerunt: ipſos non Cæcilianus, non Marcus, ſed Melchiades in unum concilium collegit, utpote quod eodem *Melchiade Præſidente factum* ſit, uti Auguſtinus teſtatur, ac proinde ille anonymus ſcriptor *Melchiadi Marcum*, & *Cæcilianum*, qui eandem ſynodum *colegerint*, fruſtra adiecit & falſo: cui ſynodo neque Marcus adfuit: quandoquidem optatus illorum temporum, quibus illa celebrata fuit, æqualis eos, qui eidem interfuerant, nominatim recenſet; & tamen ipſe illi ſynodo nullum Marcum interfuiſſe commemorat: cujus proinde nomen multo poſt eadem tempora illius conſtantinianæ Epiſtolæ inſcriptioni additum eſt, integra eadem Epi-

(a) *Auctor. libel. Synod. apud Labb. Tom. I. Concii. pag. 1427.*

(b) *S. Aug. Ep. cv. Tom. II. pag. 199.*
(c) *S. Aug. epiſt. 10.*

Epiſtola permanente; quam integritatem vincit ſincerus, ac bene connexus textus ipſius Epiſtolæ; ſub cujus finem Conſtantinus Melchiadem ſingulari *Honoratiſſimi*, aut Chariſſimi nomine appellavit; quod monſtrat, eam Epiſtolam a Conſtantino ad ſolum Melchiadem, cujus dignitatem inſcriptio affert, ſcriptam fuiſſe. Et quamvis apud Nicephorum a Valeſio citatum ſcribantur τιμιώτατοι. *Honoratiſſimi:* nihilominus recentior iſte Nicephorus audiendus hic non eſt: quippe quo antiquiora Euſebii ſcripta, quibus Valeſius ipſe utitur, habeant, τιμιώτατε; quod ſingulare nomen S. Optato reſpondet, qui Miltiadi nullum Marcum adjungit. Ex his apparet, & extat, illam inſcriptionem mendo non carere: quo quidem motus Perronius eam ipſam cor rectam voluit; quanquam ejus correctio non placeat: quoniam illud *longum tempus* non in Epiſtolarum inſcriptionibus, & initiis, ſed in earum fine olim ponebantur.

Hinc Dallæi captiones bifariam refelluntur: primum, quod illam obmendam Conſtantinus in ſuæ Epiſtolæ inſcriptione Miltiadi Marcum rea pſe nunquam adiunxit: deinde, quod ſi hunc illi addidiſſet: contra decorem non peccaſſet, neque Marcum eo Romano Pontifice compoſuiſſet, atque æquiparaſſet: priorem enim Miltiadem, & Marcum poſteriorem mendoſa inſcriptio exhibens, iſtum illi haud æquatum præbet: quemadmodum (*a*) S. Matthæus primitus *Petrum*, ac deinceps *Andream* a Domino vocatos deſcripſit: nec tamen hunc illi æquatum voluit; ſed potius illum huic, & reliquis Apoſtolis antepoſitum eſſe illo modo monſtravit, docentibus Patribus, atque Theologis. Ex illo igitur Conſtantini Epiſtolæ titulo quadamtenus mendoſo nulla & Miltiadis R. Pontificis, qui S. Petri apoſtolorum (*b*) Principis ſucceſſor extitit, & Marci, de cujus dignitate inſcriptio ſilvit, æqualitas ducitur, atque timetur. Quapropter S. Optatus etſi Miltiadi Reticium, alioſque Epiſcopos addidit: tamen hos ab illo diſtinxit, cum & ab hiſce *in Donatum ſententias latas*, ac *Cæcilianum innocentem pronuntiatum*, & *Miltiadis ſententia judicum clauſum eſſe* enuntiarit: quæ enuntiatio declarat, eo addimento haud obſtante hos ipſos Epiſcopos Miltiade inferiores fuiſſe, & Miltiadis auctoritatem, ac *ſententiam* ſummam creditam eſſe, utpote qua illud *judicium* ſic *clauſum*: quæ Optati aſſertiu cum ſit conſona illi voci, qua Conſtantinus Donatiſtarum *Controverſiam terminandum* a Miltiade petit: ſequitur, ut uterque Miltiadem Pontificem Epiſcoporum omnium & reliquorum Eccleſiaſticorum Maximum noverit.

Quare, comprehenſa lingua & græca, & latina, atque etiam Critice adhibita, liquet, græcorum, ac latinorum veterum mentem, contextus, ac ſententias pleraſque obſcuras non eſſe, uti Dallæus contendit, qui ait, quod „ hinc patet, quam ſit ad pro„ be capiendam veterum mentem ne„ ceſſaria græcæ latinæque linguæ co„ gnitio: ex quo evidenter conſequi„ tur, haud facile eſſe, eorum ſcri„ pta intelligere. „ Atqui quis neſcit, hanc conſecutionem evidenter fal-

(a) S. *Mat. in Evang. cap.* IV. *v.* 18. & 19.
(b) Si iſte Marcus ille fuit, qui poſt Sylveſtrum adeptus eſt R. Epiſcopatum: regnante Miltiade aut Diaconus, aut præsbyter extat.

falſiſſimam eſſe? nam ex eo, quod ad latinos ſcriptores omnes cum prophanos, tum Eccleſiaſticos intelligendos neceſſaria ſit latinæ linguæ abſoluta cognitio; falſiſſime infertur, eorum omnium volumina obſcuritate involvi, aut difficulter intelligi. Qui enim latinam linguam plene ſciverunt: ii facile ex intellectis eorum libris hiſtorias, orationes, ac ſenſa exerpſerunt: (a) quod S. Hieronymus, & Auguſtinus docuerunt de Græcis Patribus, ex quorum ſcriptis illi catholica dogmata, claraſque ſententias adduxerunt: & græci tertiæ, quartæ, quintæ, & ſextæ ſynodi Patres, ac Theodoretus ex latinorum voluminibus plura perſpicua fidei documenta cæpere. Quæ res argumento eſt, utrorumque ſcriptorum, ac præcipue Patrum opera eſſe intellectu facilia, ac pleraſque Patrum ſententias facile percipi: quæ ut nobis conſtent, linguæ illæ quidem laborem afferunt; ſed tamen earum ſundamenta numeris omnibus abſoluta, ipſæque adeo linguæ, nullo quidem negotio, at tempore, quo egent, ſciri queunt: quibus intellectis, opera Patrum & mentes facile comprehenduntur; quod laudatorum Veterum, ac recentium uſu firmatur. Suave eſt in hiſce ſpectare, aliquot planos Patrum textus imminutos haud eſſe caſſis Dallæi vocibus; qui etiam ſæpius obtendit, in Concilio Florentino Latinos, & Græcos profeſſos eſſe; ſe ex Patrum auctoritate pendere; ab illis totos dies in enucleandis paucis Patrum voculis conſumptos eſſe; necdum tamen inter eos conveniſſe; rem denique eo deductam, ut quantumvis utrique de claris ſuis Expoſitionibus gloriarentur, Patrum tamen ſenſus eſſet obſcurior, ac latini Theologi Dialectica parum imbuti viderentur.

Vitioſum ſane & captioſum diſputandi genus; quod cum conſtet multis haud connexis, quæ acervum efficiunt: neque in logica, neque in Philoſophia; nec tandem in Patrum Theologia probatur.

Nam & S. Auguſtinus adverſus Pelagium, atque Julianum, qui paucas veterum auctoritates vel nothas, vel imminutas afferebant, multum tempus vel pro adlegandis ſinceris Patrum textibus, vel pro adulterinis repellendis, ut S. Doctoris opera edocent, ſumpſit, plurium veterum auctoritatem ſecutus; quem inter & illos nebulones nunquam convenit; qui ob idipſum a Catholica veritate aberrarunt. Num autem ex hoc ſequitur, ut genuina Patrum teſtimonia, quæ Auguſtinus attulit, quæque in ſuperioribus Diſſertationibus poſuimus multo fiant obſcuriora; offuſis in res ipſas per tam longas altercationes tenebris? quis non videt falſiſſimas Dallæi conſecutiones logicæ omnino repugnantes! etenim vel paucæ vel plures Patrum auctoritates, quas Auguſtinus Pelagianis oppoſuit, quibuſque iſti Hæretici abutebantur, ac longa altercatione dies, & annos conſumebant; claritudine excellunt: quod ipſum ſimiliter dicendum eſt de iis veterum textibus, quos latini adverſus aliquos græcos errantes, & longam altercationem habentes adduxerunt, utique imbuti Dialectica, in qua Dallæus parum exercebatur, ut

ejus

[a] Vides S. Hieronymi epiſtolas dogmaticas, & S. Auguſtini libros contra Julianum & Synodos generales antiquas, ac Theodoreti Dialogos.

ejus falſæ argumentationes oſtendunt.

Cur autem Patrum, quos ipſe citat, auctoritates non affert? ut hæc ipſius opera fallaciis conſtare minime agnoſcantur.

Ad ea igitur deſtruenda primitus adducam S. Epiphanii teſtimonium; qui de Spiritus Sancti Divinitate, Divina cognitione, ac Profeſſione ſic egit: (*a*) neque Filium, & Patrem „ novit aliquis, niſi Spiritus Sanctus, „ qui vere celebrat, ac prædicat. „ qui docet omnia, qui de Filio te- „ ſtimonium dicit; ὁ περὶ τῦ πατρὸς ὁ „ τῦ υἱῦ quidem Patre qui e Fi- „ lio eſt. „

S. Baſilius adverſus Eunomium, ut multo ante retulimus, & nunc repetere cogimur, Spiritum Sanctum natura tertium a Filio non eſſe ita commonſtrat: „ cur enim neceſſe „ eſt, ſi dignitate, ac ordine terti- „ us eſt Spiritus, natura quoque ter- „ tium eſſe! Dignitate quidem ſe- „ cundum eſſe a Filio, ut qui eſſe „ ab illo habeat, & ab ipſo acci- „ piat, & annuntiet nobis, pietatis „ ſermo tradit. At natura tertia uti, „ neque ex ſcripturis edocti ſumus, „ neque ex prius dictis ulla conſe- „ cutione colligi poteſt. „

Hæc teſtimonia firmiſſima ſunt atque clariſſima, quorum priori, aut ſimili Marcus Epheſius hanc infirmiſſimam cautionem adhibuit, quod videlicet, Epiphanii textui verbum *eſt* deſit, quæ cautio ab omnium græcorum, qui ſæpenumero illud verbum omittunt, conſuetudine longius diſcedit, uti non ſolum in (*b*) Dominicæ Orationis initio, cui idem verbum deeſt, ſed etiam in eo S. Epiphanii loco apparet; ubi is de Sancto Spiritu ait, ὁ περὶ τῦ Πατρός: in quibus etiamſi ſubſtantiæ verbum deſideretur, tamen ita plane intelligitur; ut ea aperte adſignificent, Spiritum Sanctum *de Patre* eſſe, ſive a Patre procedere, Græcis omnibus, Latiniſque docentibus, ſecundum quos cum particula *ex* agendi principium ferat; eamque S. Epiphanius, de Spiritus ſancti proceſſione loquens *Filio* expreſſe attribuat is: clariſſime tradit, Spiritum Sanctum *a Patre*, & *a Filio* eſſe, ſive *procedere*: quippe qui utrique agendi principium liquido adſcribat: cujus textus lucem neque Epheſius, neque Dallæus ſuis tenebris, & altercationibus abſtulerunt.

Sed neque Baſilii contextui particula *fortaſſis*, quam ipſe Epheſius, falſo oſtentabat, adjuncta, claram ejus & certam auctoritatem nequaquam imminuit. Maximum enim argumentum eſt, contextum ipſum de ſua integritate judicare, quod illa, Spiritum Sanctum *ab ipſo* filio *accipere*, & *annuntiare nobis*, Baſilio certiſſima fuerint, utpote e ſacris Evangeliis deſumpta, & expreſſa. Ergo & iſthæc, Spiritum Sanctum etiam *ab illo habere eſſe*, atque adeo procedere, eidem dubia non fuere: quia hæc proxime voces illas antecedunt, cum illis connectuntur, illiſque probatur. Baſilius igitur pro certo dixit, quod utrumque *pietatis ſermo* tradit, quippe qui *ſermo* ad eadem ipſa omnia apertiſſime referatur, ac proinde idem S. Doctor particulam *fortaſſis*, quæ dubitationem iniicit, quæque a certis illis Evangelici

[a] S. *Epiph. hær.* 74. *n.* 2. *pag.* 808.
[b] In Dominicæ orationis principio legitur τῦ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ubi intelligitur verbum *es*, & vertitur, *Pater noſter qui es in cælis*.

gelicis documentis expellitur, ſuo textui non addidit. Hoc argumenti in illa ſynodo latini propoſuerunt; hoc Epheſium ſælicius reſutarunt; hoc ejus reſponſa non probabilia, ſed irrita eſſe oſtenderunt, relatis etiam antiquis, & integris S. Baſilii mſ. Codicibus; in quibus neque illa particula, neque aliæ a nonnullis Græcis confictæ, quas antea diximus legebantur: (*a*) quod ipſum Hugo Etherianus latinus, & Nicetas græcus, ſæculo XII. ea de re differentes firmarunt; cum laudatum Baſilii locum ſine illis fictitiis additamentis attulerint; quæ proinde poſt ſæculum XII. nonnullis Baſilii ſcriptis ſic alluta fuere, ut ab iſtis illi inviolati codices diſcernerentur. Quibus omnibus perſpectis, latinorum dialectica validas illius Divinæ proceſſionis monſtrandæ cauſas habuit, atque rationes; ideoque jejuna, ut Dallæus blaterat, minime fuit.

Sed cave, ne decipiaris Dallæi dolis: qui adverſus latinorum interpretationes ex Frontone recenſet quandam orationem in Sanctum baptiſmaquæ oratio ſive homilia (*b*) S. Baſilio magno ſuppoſita eſt, & quia quædam continet quæ græca non ſunt: & quoniam in diſerta, inerudita, inelegans eſt quæ vitia a genuinis S. Baſilii operibus abſunt, hæc igitur eſt illa jejuna Frontonis, & Dallæi logica, qui fictorum operum cauſas nulla ratione vident, neque adeo iis figmentis contra latinorum explicationes, quibus legitimum Baſilii textum recte interpretati ſunt, ſuadere aliquid poſſunt.

Tandem Epheſinum concilium ſymbolo ea, quæ Fidei catholicæ repugnant, non particulam *filioque*, quæ ab ipſa fide traditur, adiici vetuit; cum quaſdam S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi litteras, in quibus is ſpiritum ſanctum a Patre, & a Filio procedere liquido declarabat, illa ſynodus adprobarit.

Itaque vel aliquæ relatorum græcorum textuum latinæ verſiones haud rectæ, vel aliæ cauſæ, quas excuſſimus, non obſtant, quominus pleraque Patrum loca integra, quæ illuſtravimus, omnibus pateant.

De argumento, quo nonnulla Fidei myſteria inter ſe comparantur.

ECquid poſtea dicam de alia cauſa, qua Dallæus laborat? quippe confert Euchariſtiæ ſacramentum cum Filii Dei Divinitate ac vetuſtiores Patres de utroque myſterio obſcure loqui contendit, ut ſuam hæreſim qua verum Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe inficiatur, temere extundat. Hinc Tertullianum, & S. Auguſtinum de Euchariſtia loquentes, & S. Juſtinum, Tertullianum, S. Dionyſium Alexandrinum, ac Nicænam I. Synodum de Chriſti Divinitate plura docentes inducit, at quid eſt, quod de Filii Dei Divinitate, non de Euchariſtiæ Sacramento, & Juſtinum proferat, & Nicænum Concilium? certe intuitus eſt, horum teſtificationibus illum ejus errorem liquido everti; & idcirco hoſce non affert. Quare nos pro utraque cauſa pugnantes horum, & illorum teſtimonia perſpicua, quibus nonul-

[a] *Hug. Eth. lib. 3. def. lat. Nic. ap. Bellar. ep. ad mmm*

(b) Tomo II. operum Baſilii pag. 583 auctor illius homiliæ dicit de *Domino*; quod *Spiritum Sanctum inſufflavit*: quem non *inſufflaret*, niſi ab ipſo etiam procederet Spiritus Sanctus: quam proceſſionem proinde ille auctor admittit.

la ſub obſcura eorum dicta enucleantur, producemus adverſus Dallæi contentiones.

Primitus me ad S. Juſtinum martyrem voco; qui de pane, ac vino, quæ primum in Euchariſtia offeruntur, quorumque ſubſtantiæ dehinc ſacerdotis conſecratione in Corpus Chriſti & ſanguinem mutantur, tractat his verbis: „ Neque (*a*) enim ut „ Communem panem, neque ut com- „ munem potum iſta ſumimus; ſed „ quemadmodum perverbum Dei ca- „ ro factus Jeſus Chriſtus ſalvator „ noſter carnem, & Sanguinem habuit „ ſalutis noſtræ cauſa. Sic etiam il- „ lam in qua per precem ipſius ver- „ ba continentem gratiæ actæ ſunt, „ alimoniam, ex qua ſanguis, & car- „ nes noſtræ per mutationem alun- „ tur, incarnati illius Jeſus, & car- „ nem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.

Tertullianus de percipiente Euchariſtiam clare ait, quod is Corpore, (*b*) & Sanguine Chriſti veſcitur.

Idem igitur ſcriptor cum *panem* eſſe figuram Corporis Chriſti affirmat adverſus Marcionem: profecto panem, qui tanquam figura Corporis Chriſti ab Hieremia antiqui Teſtamenti Propheta prædictus fuerat, opponit eidem Marcioni, qui veterem legem a Deo bono aliænam, ac non verum Chriſti Corpus, ſed apparens. Crucifixum eſſe, ſtulte affirmabat: contra quas hæreſes Tertullianus verbis illis a Dallæo relatis adjungit *veterem figuram* a Chriſto Dei optimi filio non alienam fuiſſe panem: quippe quem Hic, dum Paſcha ederet, *Corpus ſuum ita fecit ut veritatis eſſet Corpus* Cruci poſtea traditum; utque adeo *figura* ad veterem legem; *veritas* autem *corporis* ad Euchariſticum novæ legis Sacramentum referretur: quam aſſertionem vetuſtus ille ſcriptor ſuis conſequentibus, quæ Dallæus non vidit & ideo illius antecedentia obſcura eſſe immerito protulit, planam ſic facit: „ (*c*) ut quid alienum con- „ cupiſceret Deus! acceptum panem, „ & diſtributum Diſcipulis, Corpus „ illum ſuum fecit, *hoc eſt Corpus* „ *meum* dicendo, id eſt, figura Cor- „ poris mei. Figura autem non fuiſ- „ ſet, niſi Veritatis eſſet Corpus. Cæ- „ terum vacua res, quod eſt phan- „ taſma, figuram capere non poſſet „ aut ſi propterea panem corpus ſibi „ finxit, quia Corporis carebat ve- „ ritate: ergo panem debuit tradere „ pro nobis. Faciebat autem ad va- „ nitatem Marcionis, ut panis cru- „ cifigeretur. Cur autem panem *Cor-* „ *pus ſuum* appellat, & non magis „ peponem, quem Marcion cordis lo- „ co habuit, non intelligens, vete- „ rem fuiſſe iſtam figuram Corporis „ Chriſti dicentis per Hieræmiam: „ *adverſum me cogitaverunt cogitationes, dicentes; venite coniiciamus lignum in panem ejus.*

Nicænum primum Concilium Canone XIV. ſive, ut in verſione Dionyſii legitur, XVIII. jubet, ut iis, qui non offerunt, Sacerdotes διδόναι τό σῶμα τῦ χριςῦ *dent Corpus Chriſti*.

S. Auguſtinus duo diſtincta ſacrificia, quorum unum fuit ſecundum ordinem Aaron, alterum ſecundum ordinem Melchiſedech, tractat hoc mo-

(a) S. *Juſt. in Apol* 2. *n.* 65.
[b] *Tertull. lib. de reſur. carn. cap* 8.

(c) *Tert. lib.* IV. *contr. Marc c.* 40.

modo: „ (a) Quis erat Melchiſedech? „ Rex ſalem. Salem Civitas fuit antea „ illa, quæ poſtea, ſicut docti prodiderunt. Jeruſalem dicta eſt. Ergo „ antequam ibi regnarent Judæi; „ ibi erat ille ſacerdos Melchiſedech, „ qui ſcribitur in Geneſi ſacerdos „ Dei excelſi. Ipſe occurrit Abrahæ, „ quando liberavit Loth de manu perſequentium, & proſtravit eos, a „ quibus ille tenebatur, & liberavit „ Fratrem: poſt liberationem Fratris occurrit ei Melchiſedech. & „ tantus erat Melchiſedech, a quo benedicereturum Abraham. Protulit „ panem, & vinum, & benedixit „ Abraham; & dedit ei decimas Abraham. Videte quid protulit, & „ quem benedixit, & dictum eſt poſtea, *tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*... De „ quo alio dicit: niſi de illo, cujus „ noſtis ſacrificium? ſublatum eſt ergo „ ſacrificium Aaron, & cæpit, eſſe „ ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo mutavit neſcio quis „ vultum ſuum. Quis eſt iſte neſcio „ quis? Non ſit neſcio quis: notus eſt „ enim Dominus noſter JeſusChriſtus, „ in Corpore & Sanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem „ commendavit Corpus, & Sanguinem „ ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim „ eſſet humilis, nec manducaretur, nec „ biberetur. Reſpice altitudinem ipſius; *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Ecce cibus ſempiternus, ſed manducant angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cæleſtes ſpiritus, & manducantes ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat, & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? unde cor tam idoneum illi „ cibo? Oportebat ergo, ut menſa „ illa lacteſceret, & ad parvulos pervenire. Unde autem fit cibus „ lac? unde cibus in lac convertitur, „ niſi per carnem traiiciatur? nam „ mater hoc facit. Quod manducat „ mater, hoc manducat infans. Sed „ quia minus idoneus eſt infans, qui „ pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humiditatem „ mammillæ, & lactis ſuccum, de „ ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pavit nos „ ſapientia Dei? quia verbum Caro „ factum eſt, & habitavit in nobis. „ Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit (b) „ homo; id eſt, verbum illud, quo, „ paſcuntur Angeli, ſempiternum, „ quod eſt æquale Patri, manducavit homo... Humiliavit ſe factus „ obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ut jam de Cruce commendaretur nobis caro, & „ Sanguis Domini novum Sacrificicium ... & *ferebatur* (c) *manibus ſuis*. Hoc vero, Fratres, quomodo poteſt fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo. Manibus ſuis „ nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram, non invenimus; in Chriſto autem invenimus, ferebatur „ enim Chriſtus in manibus ſuis, „ quando commendans ipſum corpus „ ſuum,

G 2

(a) *S. Aug. Enarr. 1. in Pſ. 33. pag. 2. 10. & ſeq. Tom. 1.*

(b) *Pſ. 7. 6.*
(c) *Reg. 21.*

„ ſuum, *ait*, *Hoc eſt Corpus meum*. „ Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. „

Cedat cenſor huic apertiſſimo loco, atque firmiſſimo, ubi Auguſtinus ex profeſſo vetus, ac novum ſacrificium pertractat, & id aſſerit, quod in nova lege ſublatum eſt ſacrificium Aaron, & cepit eſſe ſacrificium *ſecundum ordinem Melchiſedech:* in quo ſacrificio *Dominus Corpus*, & *ſanguinem ſuum* ita *commendavit*, ut ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ Melchiſedeh protulerat, *manducaretur*, & *biberetur* mutatis eorum ſubſtantiis. Sicut enim *panis* ab aliqua *matre* editus, in *lac convertitur:* ita Dominus panis ſubſtantiam in ſuum corpus mutavit, dum *illud Corpus ferebat in manibus*, *ſuis*, cum ait, *hoc eſt Corpus meum:* quod, cum *ſecundum litteram non* de *Davide*, ſed de Chriſto *intelligatur* clare demonſtrat, vere illis Chriſti verbis Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum eſſe, vere mutationem illam fieri, verumque in ea Chriſti corpus extare.

At Dallæus alium Auguſtini locum cauſatus; in eo *figuram* falſo legit, & ſcribit: quia S. Doctor non *figuram*, ſed *ſignum* contra Adimantum ſic protulit: „ (*a*) ex eo, quod ſcriptum eſt, ſanguinem pecoris ani„ mam ejus eſſe... dixi, non ad me „ pertinere, quid agatur de pecoris „ anima, poſſum etiam interpretari „ præceptum illud in ſigno eſſe po„ ſitum. Non enim: Dominus du„ bitavit dicere, *hoc eſt Corpus me„ um*; cum ſignum daret Corporis „ ſui. „

Hic S. Doctor non panem, ſed *ſignum Corporis* Domini nuncupavit, nempe ut diſerte indicaret, in Euchariſtico ſacramento, non panis ſubſtantiam, quæ mutata fuit, ſed ejus ſpeciem ineſſe, quæ ſit *Signum Corporis* Chriſti in Euchariſtia exiſtentis; ſicut Sanguis pecoris ſignum eſt ſentientis, præſentiſque animæ ipſius. Unde clarum *Corporis* Dominici in Euchariſtia extantis indicium dedit Auguſtinus, ſibi, & antiquioribus Patribus conſonans.

Quo fit, ut Dallæus falſo aſſerat, quæ de hoc argumento. Patres habent, ea multo eſſe & tenebris obſita, & ſoluta difficilia, quod ab ipſo Juſtino, quem cenſor ſtatim defert, refellitur, qui Martyr *Corpus* Chriſti in Euchariſtia eſſe clariſſime tradit, & Tertullianus declarat, panem quidem fuiſſe *veterem figuram*; ſed in Euchariſtico novæ legis Sacramento *veritatis eſſe Corpus*, atque adeo verum Chriſti *Corpus*; atque hoc in eo *dari* Nicenum Concilium apertiſſime docet denique Auguſtinus ex profeſſo id ſcribit, quod Chriſtus dicendo, *hoc eſt Corpus meum*, in *ſuis manibus ferebatur*; cujus *Corporis* indicium, ut vidimus, S. Doctor oſtendit. Quæ omnia clariſſima ſunt, & intellectu facillima. Dallæus igitur falſe dicit, quod ea, quæ de iſto argumento veteres habent, non minoribus ſint tenebris obſita, nec ſolutu faciliora; quam quæ ad aliam diſſertationem de Chriſti Divinitate pertinere videntur: quippe quam Divinitatem vetuſtiores Patres haud obſcure tradiderint.

Imprimis S. Juſtinus, a quo exemplum Dallæus ſiniſtre capit, Tryphoni Judæo Chriſtum eſſe Deum ſic vicit: „ Demonſtrabo, Deum ante om-

„ nes

(a) *S. Aug. in lib. cont. Adm. c. 12. n 3. pag. 114. c. 8.*

„ nes (*a*) res creatas, initium genuiſſe
„ ex ſeipſo virtutem quandam ratio-
„ nalem, quæ & gloriam Domini a
„ Spiritu Sancto vocatur, ac nunc
„ filius, nunc ſapientia... Hæc ipſa
„ vere ex Patre prolata progenies an-
„ te res omnes creatas una erat cum
„ Patre, & cum ea Pater colloque-
„ batur, quemadmodum ſcriptura per
„ Salomonem declaravit, hanc ipſam,
„ quæ ſapientia a Salomone dicitur,
„ & principium ante omnia opera,
„ progeniem a Deo genitam eſſe...
„ quod ſi noſſetis, (*b*) qui tandem
„ ille ſit, qui & Angelus magni Con-
„ ſilii interdum, & vir ab Ezechiele,
„ & tanquam filius hominis a Da-
„ niele, & puerulus ab Eſaia & Chri-
„ ſtus, & Deus adorandus a Davide
„ & Chriſtus & lapis a multis, &
„ ſapientia a Salomone... & ſtella a
„ Moyſe... & virga & flos & lapis
„ ſummus angularis vocatus: hoc,
„ inquam, ſi noſſetis, Trypho, non
„ eum profecto blaſphemiis appeti-
„ retis; etiam poſtquam advenit,
„ & natus, ac paſſus eſt, ac in cæ-
„ lum aſcendit; qui quidem rurſum
„ adveniet, ac tunc plangent duo-
„ decim veſtræ tribus. Nam ſi intel-
„ lexiſſetis, quæ a Prophetis dicta
„ ſunt: non eum negaſſetis Deum
„ eſſe; ſolius, & Ingeniti, & non
„ enarrabilis Dei Filium... Non exi-
„ ſtimetis, ipſum Ingenitum Deum
„ deſcendiſſe, aut aliquo ex loco
„ aſcendiſſe. Neque enim ille non
„ enarrabilis Pater, & Dominus uni-
„ verſorum in aliquem locum venit,
„ neque ambulat, neque dormit;
„ ſed in regione ſua, quæcumque
„ tandem illa eſt, manet, acutum
„ cernens, & acutum audiens, non
„ oculis quidem, nec auribus, ſed
„ virtute non enarrabili; ac omnia
„ videt, & omnia cognoſcit, nec
„ quiſquam noſtrum eum latet, nec
„ movetur, nec loco comprehendi
„ poteſt, imo ne toto quidem Mun-
„ do; quippe qui erat etiam ante-
„ quam Mundus fieret. Quomodo
„ igitur ille aut quenquam alloqua-
„ tur, aut cuiquam appareat, aut
„ in anguſtiſſima terræ parte conſpi-
„ ciatur; cum ne illius quidem, qui
„ ab eo miſſus eſt, gloriam populus
„ in Sina intueri potuerit; nec ipſe
„ Moſes tabernaculum, quod fece-
„ rat, ingredi poſſet, ſi gloria Dei
„ impletum eſset,.. Nec Abraham
„ igitur, nec Iſaac, nec Jacob, nec
„ quiſquam ex hominibus illum om-
„ nium omnino, ac ipſius Chriſti
„ Patrem, & Dominum non enar-
„ rabilem vidit: ſed eum, qui ſe-
„ cundum ipſius voluntatem & Deus
„ eſt ipſius Filius, & Angelus ex eo,
„ quod ὑπηρετεῖν τῃ γνώμῃ αὐτῦ ope-
„ ram navat conſilio ipſius... ac (*c*)
„ Dominum, & Deum Dei Filium
„ eſse, & virtute prius apparuiſse,
„ ὡς uti virum & Angelum, & in
„ gloria ignis velut in rubo, &
„ in judicio de Sodomis facto, jam
„ pluribus, demonſtratum eſt... An-
„ gelos etiam ab eo fieri docemur.
„ illam autem virtutem, quam &
„ Deum ſermo propheticus.., & An-
„ gelum vocat, non ſolo nomine,
„ ut lucem ſolis numerari, ſed &
„ numero aliud quid eſse, etiam
„ ſupra breviter diſserui, cum vir-
„ tutem illam ex Patre genitam di-
„ cerem, virtute, & voluntate ipſius,
„ non

(a) *S. Juſt in Dial. cum Tryph Jud. n. 6.*
(b) *ib. num. 116.*
(c) ὑπηρετεῖν activè acceptum ſignificat operam navare, ut obſervat Andreas Junius in ſuo Lexico G. L.

„ non vero per abſciſſionem, quaſi „ Patris ſubſtantia divideretur, quemadmodum cætera omnia, quæ „ dividuntur, & ſcinduntur, non „ eadem ſunt, ac antequam ſcinderentur. „

Quomodo autem Dallæus ſumit, ut iſta abſint a perſpicuitate? ea ſunt ejuſmodi, quæ ab ipſo cenſore diligentiſſime tractata non ſunt. Fuit enim accepta ab Juſtino diſſerendi, & affirmandi ratio triplex. Una de eo, quod Dei Filius *ante res omnes creatas* a *Patre*, qui cum eo *colloquebatur*, *genitus* eſt *non per abſciſſionem ſubſtantiæ*; eſtque ipſe Filius *principium* & *Deus adorandus*. Altera de eo, quod Pater ut *Deus*, *quippe qui erat antequam Mundus fieret*, nec poſſit *moveri*, nec *loco*, *imo ne toto quidem mundo comprehendi*, nec quemquam hominem alloqui, nec *cuiquam* homini *apparere*, nec tandem ipſius *Dei gloria* a quoquam homine vivente conſpici queat. Tertia ratio fuit de actu apparendi, quia ſcilicet Patrem nemo unquam *vidit*. Filius Dei autem ab *angelis*, qui ab eo *facti*, aut creati ſunt, maxime diſtinctus, & a Patre *miſſus*, *uti vir* & *Angelus* in Sina, & in rubo Moyſi apparuit. Quibus argumentis claris Dallæus, a quo integra Juſtini loca non adducuntur, refutatur. Neque enim Juſtinus hanc illius apparitionis, qua filius, non Pater, *viſus* eſt, rationem a Filio alienam attulit, quod videlicet ſolus Pater nec moveatur, nec quemquam alloquatur, nec loco compræhendatur. Sed ejus rei rationem iſtam reddidit, quia Pater ut *Deus* ne *toto quidem mundo comprendatur*, *quippe qui erat*, *antequam Mundus fieret:* quæ ratio cum S. Martyris antecedentibus, & conſequentibus conferenda eſt, in quibus dixit, quod Filius *ante res omnes Creatas* atque adeo ante Mundum, a *Patre genitus* eſt ſine *abſciſſione ſubſtantiæ*. Hac igitur generali ratione Juſtinus ſignificavit, & Patrem, & Filium, & etiam Spiritum Sanctum, utpote unum *Deum* qui *ante creatum Mundum* erant, nec comprehendi loco, neque Hominibus eas tres Divinas perſonas ut *Deum* apparuiſse: utpote quæ una *ſubſtantia indiviſa* & inviſibilis ſint. Speciatim vero Dei Filius in apparenti *viri*, & *Angeli* ſpecie Moyſi apparuit, quia a Patre *miſſus* eſt. Speciatim ergo ſecudum Juſtinum Pater, quia a nullo mittitur, viſus non fuit; ſed Filius apparuit, quoniam a Patre mittitur utpote perſona ab ipſo *genita* ante res omnes creatas, ab eoque diſtincta. Et quoniam a Prophetis, & ab ipſo Juſtino Dei Filius & Deus & magni Conſilii angelus nuncupatur: idcirco Dallæus S. Martyrem iniquius accuſat, quod ita obſcure locutus fuerit. Etenim Juſtinus dictum illud explicuit, non quo denotet, Dei Filium natura Angelum eſse; ſed quia ſignificet, ipſum *uti angelum*, ideoque in aliena Angeli ſpecie Prophetis veteribus apparuiſse. Quia etiam Dei Filium ab Angelis aliud quid eſse, Juſtinus apertiſſime poſuit his *verbis*, *docemur*, *angelos* fieri; *virtutem autem* illam *ex Patre genitam ante res omnes creatas*: e quibus clariſſimis aſſertionibus liquet, *Angelos* ut *factos* a Dei Filio *genito* ac non adeo facto, multum differre. Dicit inde Dallæus, „ vix Juſtini verba reſolvi poſſe, quin naturæ diverſitas in Patre, & Filio ponatur. „ Hæccine eſt argumentatio? quis enim, cum ſibi fingit aliquid, aut cogitatione depingit, non, ſimul ac ſe ipſe commovit, atque ad ſe revocavit, ſentit, quid

quid interſit inter perſpicua, & inania? Inania certe ſunt Dallæi argumenta, quæ perſpicuis Juſtini antecedentibus, & conſequentibus, quæ adlegavimus, quæque argutator omiſit, refelluntur enimvero *voluntatis* vox tenebras Dallæo, non eruditis, offudit, qui bene viderunt Marcionis figmenta, quibus is duos eſſe Deos, unum veteris legis, alterum Novæ, & hunc invito illo exiſtere, impie comminiſcebatur. Hinc Juſtinus, qui etiam Marcionem exagitarat, unumque eſſe veteris, ac novi Teſtamenti Deum probarat, aſſeruit, Dei filium novæ legis conditorem *voluntate Patris* non invito videlicet Patre, & *Deum* eſſe *adorandum*, & e *Patre ante creatas res omnes genitum*, *non per abſciſſionem*, *quaſi Patris ſubſtantia divideretur*, *quemadmodum cætera omnia*, *quæ dividuntur*, *& ſcinduntur*. Videat hæc Paulus Samoſatenſis: legat Socinus: ſolvat Dallæus, hæc ipſa namque non modo reſolvi queunt, uti *voluntas* in non invitum reſolvitur; verum etiam nullam naturæ, aut ſubſtantiæ diverſitatem in Patre & Filio, ſed ejuſdem Subſtantiæ unitatem in utroque apertiſſime ponunt; quippe quæ Divina ſubſtantia in patre, & Filio *neque abſcindatur*, *nec* dividatur, atque adeo indiviſa, una, eademque ſit in utroque. Quid clarius dici potuit pro Divinitatis Filii teſtimonio? quid inanius excogitare potuit Dallæus, quam ab Juſtino illam naturæ diverſitatem poſitam? cum S. Martyr ſubſtantiæ abſciſſionem, & diverſitatem viſa, in *creatis omnibus rebus*, quibus Dei Filius ab impio Ario adſcriptus eſt, plane negaverit de indiviſa Patris, & Filii ſubſtantia.

Tertullianus hoc idem firmavit, dum adverſus Praxeam, qui tres Divinas perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unam perſonam eſſe hæreſi aſſerebat, primitus dixit: „(*a*) „ Cuſtodiatur æconomia Sacramenti, „ quæ unitatem in Trinitatem diſ- „ ponit, tres dirigens, Patrem, & „ Filium, & Spiritum ſanctum: tres „ autem non ſtatu, ſed gradu; nec „ ſubſtantia, ſed forma; nec pote- „ ſtate, ſed ſpecie: unius autem ſub- „ ſtantiæ, & unius ſtatus, & unius „ poteſtatis, quia unus Deus. Dein- „ de: „ (*b*) ecce enim dico, alium „ eſſe Patrem, & alium Filium, & „ alium Spiritum. Male accipit idio- „ tes quiſque, aut perverſus hoc di- „ ctum, quaſi Diverſitatem ſonet, & „ Diverſitate ſeparationem protendat „ Patris, & Filii, & Spiritus. Neceſ- „ ſitate autem hoc dico, cum eun- „ dem Patrem, & Filium, & Spiri- „ tum contendunt, adverſus æcono- „ miam Monarchiæ adulantes; non „ tamen Diverſitate alium Filium a „ Patre, ſed Diſtributione; nec Di- „ viſione alium, ſed diſtinſtione: quia „ non ſit idem Pater, & Filius, vel „ modulo alius ab alio. Pater enim „ tota ſubſtantia eſt: Filius vero de- „ rivatio totius, & portio..., dum „ alius, qui generat; alius, qui ge- „ neratur; dum alius, qui mittit; „ alius, qui mititur. „

En Tertullianus in Divinarum Perſonarum *Trinitate ſtatus*, poteſtatis ac *ſubſtantiæ unitatem*; *ipſaſque tres* Divinas perſonas *unum Deum* eſſe ita declaravit, ut in ſanctiſſimis *tribus diſtintis* perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto, *non* ſit *ſubſtantiæ diverſitas nec Diverſitate Filius a Patre* ſit *alius:*

(*a*) *Tertul. in lib. adv. Prax. cap. 2. pag. 501.*

(*b*) *Tert. ib. cap. 1x pag. 504.*

Filius: id quod Arianam hæreſim funditus, & apertius evertit. Quo idem Filius *totius* ſubſtantiæ *derivatio* a Tertulliano dicitur; quia ipſi Filio Pater æterna quidem generatione, at *non diverſitate*, *nec ſeparatione* totam ſubſtantiam ſuam communicat. *Portio* autem *non ſubſtantiæ diverſitatem*, *non diviſionem*, ac non adeo partem denotat; ſed *ad Diſtributionem* proxime præmiſſam, quæ portionem ſpectat, refertur. Atqui *Diſtributio* iſta eſt *Trium* perſonarum Divinarum diſtinctio; in quibus *nulla ſubſtantiæ diverſitas*, ſed ejuſdem *ſubſtantiæ unitas* eſt, ita ut ſint *unus Deus*. Portio igitur *Filii* perſonam a perſona Patris *non diviſam*, ſed *diſtintam nec* naturæ *diverſitate*, ſed hypoſtaſi *aliam*, haud obſcure, ſed improprie ſignificat. Hoc Dallæus expendat, quod intellectu facile eſt; quia cum proximis antecedentibus, quæ perſpicuitatem tenent, connectitur; quibus Tertullianus & adverſus Praxeam *trium* Divinarum perſonarum *diſtibutionem*, ac *diſtinctionem*; & adverſus Arium *non ſubſtantiæ diverſitatem*, at *unitatem ſubſtantiæ* in *Trinitate* eſſe, clariſſime docuit.

S. Athanaſius Alexandrinus Præſul defendit, de Filii Dei Divinitate, S. Dionyſium olim etiam Alexandrinum Epiſcopum bene ſenſiſſe: propterea quod hic vocem ποίημα *opus* non de Dei verbo, ſed de Chriſti Humanitate accepit, ipſumque Dei Filium Patri *Conſubſtantialem* aſſeruit; quod vocabulum a Nicænis Patribus optime adhibitum eſſe idem Athanaſius ex S. Dionyſio R. Pontifice, exque illo Dionyſio Alexandrino ita demonſtrat: „ neque tamen trecenti illi „ aliquam (*a*) novam ſcripſere ſententiam, neque ſibi ipſi confiſi, „ verbis non ante ſcriptis patrocinati ſunt: ſed exemplo Patrum incitati, eorum verba uſurparunt. „ Diu namque ante illos ſeptuaginta, qui Samoſatenſem depoſuerunt, duo Dionyſii extitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ „ Epiſcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum Epiſcopum „ Alexandrinum detuliſſent, quod „ Filium rem factam, ac Patri non „ Conſubſtantialem affirmaret: Synodus Romæ coacta rem indigne „ tulit. Romanus autem Epiſcopus „ omnium ſententiam reſcripſit ad „ Gentilem ſuum. At ille ſui purgandi cauſa librum horum edit hoc „ titulo, *Elenchus*, & *Apologia*: & „ his verbis ad Romanum ſcripſit „ Epiſcopum . . . . ea ſcripſi, quibus „ criminationem adverſariorum repuli, mendacemque oſtendi, qua „ ajebant, me Chriſtum negare eſſe „ Deo conſubſtantialem.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus in Epiſtola, quam poſt Nicænum Concilium ad ſuam Eccleſiam ſcripſit, de Nicæna Fidei formula ſic loquitur: „ (*b*) Imperator ipſe noſter Deo Chariſſimus eam rectiſſime conceptam „ eſſe, primus omnium teſtatus eſt, „ atque ita ſentire ſe affirmavit, cunctoſque hortatus eſt, ut ei aſſentirentur, atque ſubſcriberent, utque „ in hanc doctrinam omnes conſpirarent, una dumtaxat voce Conſubſtantialis adjecta, quam quidem „ vocem ipſe quoque interpretatus „ eſt, aſſerens, non juxta corporis „ aſſe-

(a) *S. Ath. de Synodis n. 43 Tom 2.*
(b) *Euſ. in epiſt. ad Cæſar. apud Theod. hiſt Eccl lib. 5. cap. 12. pag. 34. noviſs. edit. Taur.*

Digitized by Google

„ affectiones Conſubſtantialem dici, „ neque per diviſionem; aut ſectionem quandam Filium ex Patre ſubſiſtere: fieri enim non poſſe, ut „ Materiæ expers & intellectualis, „ atque incorporea natura corpoream „ ullam affectionem admittat: ſed „ Divinis, arcaniſque rationibus id „ eſſe intelligendum. Ac ſapientiſſimus quidem, & religioſiſſimus Imperator ita tum philoſophatus eſt... „ Hunc ſenſum ut nos quoque amplecteremur, æquum omnino videbatur cum pia doctrina prædicet, „ Filium ex Patre eſſe, non tamen „ partem eſſe illius ſubſtantiæ... quum „ quidem cum ita expoſitum fuiſſet; „ jure merito adprobandum eſſe cenſemus: quandoquidem nonnullos „ ex veteribus inſignes Epiſcopos, & „ diſertos ſcriptores in explicanda „ Patris, ac Filii Divinitate, hoc „ vocabulo Cnnſubſtantialis uſos eſſe „ cognoſcimus. „

Nunc vero quid primitus dicam, de Dallæi commentis? fingit enim cenſor, antiochenæ ſynodi Epiſcopos, qui ſæculo tertio Paulum ſamoſatenſem damnarunt, pronuntiaſſe, Dei Filium *non eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre*. ficta hæc ſunt; quippe (*a*) quæ nec primum Concilium Antiochenum in epiſtola ad eundem Paulnm miſſa, neque alterum in litteris ad Dionyſium R. Pontificem directis conſcripſerit, quod ſi Antiocheni illi Præſules Dei Filium Patri Conſnbſtantialem inficiati ſunt: non idcirco Filium ipſum non eſse ejuſdem eſsentiæ cum Patre voluere; ſed vocabulum illud alio ſenſu negarunt; quem S. (*b*) Athanaſius oſtendit hoc pacto: „ qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, „ hanc vocem, Conſubſtantiale, Corporaliter accepere, cum Paulus ſophiſticari vellet, & dicere, ſi Chriſtus non ex homine Deus factus „ eſt; igitur Conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſario ſequitur tres ſubſtantias: unam quidem, quæ prior „ ſit: ut princeps; reliquias vero „ duas ex ea oriundas; ideoque merito citantes illud ſophiſma, dixere Chriſtum non eſſe Conſubſtantialem non enim ita ſe habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. „ Illi vero, qui Arianam hæreſſim „ Anathemate notarunt, cognoſcentes non creaturam, ſed genitum „ quiddam ex ſubſtantia Patris Filium eſſe, & ſubſtantiam Patris originem, radicem, & fontem eſſe „ Filii, & veram undecumque eſſe „ ſimilitudinem Geniti cum Genitore, & nequaquam eum, uti nos, „ diverſæ naturæ eſſe; & pro ſe habentes Dionyſii exempla, fontem „ ſcilicet, & Conſubſtantialis aſſertionem, & præterea unitricem Salvatoris vocem, *ego & Pater unum* „ *ſumus*, &, *qui vidit me, vidit &* „ *Patrem meum:* his de cauſis merito inducti ſunt, ut Filium conſubſtantialem dicerent... quandoquidem enim & Samoſatenſis ſentiebat, Filium ante Mariam non „ fuiſse, ſed ab ea initium ſuæ eſſentiæ accepiſse; ideo Epiſcopi tunc „ congregati hominem hæreſeos condemnatum abdicarunt; & de Filii Divinitate ſimplicius ſcribentes, non exquiſitam diligentiam „ in tractatu hujus vocis, Conſubſtantialis, adhibuerunt, ſed ut ce-

(a) *Vide Antiocheni Concilii Epiſtolas Tom. 1 Concil. Labbe pag. 907. & alteram Epiſtolam in lib.* VII. *cap.* XXX. *Hiſt. Eccl. Euſebii.*

(b) *S. Athan. Epiſt. cit. de Syn. Arim.*

„ ceperant de Conſubſtantiali, ita
„ locuti ſunt: in eo enim omnem
„ curam habebant, ut quod Samo-
„ ſatenſis excogitaverat, tollerent,
„ & docerent, ante omnia Filium fuiſ-
„ ſe eumque non ex homine. Deum
„ eſse factum; ſed, cum Deus eſset
„ indiviſse ſervi ſpeciem; atque ita
„ adverſus Pauli blaſphemias actum
„ fuit. Verum quod Euſebius, &
„ Arius ante tempora quidem fuiſſe
„ filium dicerent, ſed tamen factum
„ eſse, & unum ex creaturis docere
„ conarentur, & dictum illud, *ex*
„ *Deo* non ita interpretarentur, ut
„ Filium genitum ex Patre vero na-
„ tum crederent, ſed eum ita ex
„ Deo eſse, ut cætera creata, affir-
„ marent, & ſimilitudinis unitatem
„ Filii cum Patre negarent eſsentia,
„ aut natura conſtare.... ideo Niceæ
„ congregati Epiſcopi; conſpicati
„ eorum hominum, qui ita ſentie-
„ bant, vafritiem, collectis in unum,
„ quæ ex Sacris litteris ad ſententiam
„ ſuam tuendam facerent: liquidius
„ rem exponentes, Filium Conſub-
„ ſtantialem eſse aſseverarunt, ut
„ ingenuitas. Et vera natura Filii
„ inde ſignificaretur, nihilque cum
„ eo res creatas commune habere
„ edocerent. „

Tantum igitur abeſt, ut Antiocheni Concilii Epiſcopi Filium Dei non eſse ejuſdem eſsentiæ cum Patre aſſeruerint, ut potius contrarium adſignificarint, Nam ipſum *Filium non Deum factum*, ſed, *cum ante omnia Deus eſſet*, *induiſſe ſervi ſpeciem*, ſive formam, *ſcripſerunt*; quod ſcriptum, enuntiatumque *ſimplicius* liquido monſtrat, Dei Filium ſimpliciter Deum eſse, & adeo ejuſdem eſsentiæ cum Patre proinde non iſto ſenſu, ſed alio Antiocheni illi Præſules Conſubſtantiale negarunt, pro ut ſcilicet illud *acceperant* ſive audierant a Samoſatenſi, qui idem vocabulum *corporaliter*, nempe ut in diviſis corporum ſubſtantiis cernitur, accipiens, ſubdole argutabatur, Dei Filium, ſi Petri Conſubſtantialis diceretur, a Patris ſubſtantia eſse diviſum: quam *ſubſtantiæ ſciſſionem* atque adeo *diverſitatem* in Patre & Filio Juſtinus, ac Tertullianus aperte negarunt: qua negatione Paulus Samoſatenſis, & Arius plane confutantur. Hinc Nicænum Concilium, & Conſtantinus docuerunt vocem illam *non juxta corporum affectiones*, *diviſiones*, ac *partes* in *Divinis* accipiendam eſse: quo ſenſu proinde, non autem illo, qui in Patre & Filio *eſſentiæ unitatem* oſtendit, antiocheni Patres Conſubſtantiale negarunt unde Euſebius Conſtantini enodatione amplexus, patefecit, a Niceno Concilio Conſubſtantialis vocem ideo recte adhibitam eſse, quod *inſignes Epiſcopi*, ſcriptores Antiochena ea ſynodo antiquiores illa voce uſi fuerint, atque expreſse tradiderint. Dei Filium Patri eſse Conſubſtantialem, aut certe eſse ejuſdem eſsentiæ cum Patre. Hoc idem Theodoretus probavit, cum Arianos refellit hac S. Athanaſii ratione; „ (*a*) Priſci enim Epiſ-
„ copi, qui ante annos fere centum,
„ ac viginti tum in magna urbe Ro-
„ ma, tum in noſtra civitate ſede-
„ runt, eos, qui Filium Dei factu-
„ ram eſſe dicerent, non autem Pa-
„ tri Conſubſtantialem; reprehende-
„ runt. „

Hæc ipſa obſervatio, qua Patres an-

(*a*) *Theod. lib. I. Hiſt. Eccl. cap. VII. pag. 26.*

ante Antiochenam ſynodum, & ante Nicænum Concilium de Filii Divinitate clare locutos eſse diximus, nullo negotio adverſus Dallæum probat, etiam de aliis cauſis, quas Eccleſia contra Macedonium, Pelagium, Neſtorium, Eutychetem, & Monothelitas defendit, veteres non obſcuriſſime ſed clariſſime ſermocinatos fuiſſe, antequam eædem res in quæſtionem vocarentur. Nam exempli cauſa Tertullianus modo relatus aperte ſcripſit, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tres quidem eſſe perſonas, ſed unius ſubſtantiæ, & unius poteſtatis, quia unus Deus:* qua teſtificatione & *Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum Sanctum* eſſe *Deum* utique *unum* adverſus Arium, & Macedonium plane demonſtratur. Idemque Scriptor (*a*) jam alibi laudatus dixit, quod e Virgine *natus eſt Deus*... *Deus homo .... ſecundum utramque ſubſtantiam in ſua proprietate manentem ... Videmus duplicem ſtatum non confuſum, ſed conjunctum in una perſona*. Nihil clarius dici poteſt & contra Neſtorium, qui *unam* in Chriſto *perſonam*, atque e Virgine *Deum natum* inficiabatur: & contra Eutychem, qui utramque Chriſti naturam, Divinam, & Humanam, *confuſam* effutiit. Tum (*b*) S. Hilarius, S. Joannes Chryſoſtomus, ac S. Ambroſius, qui multo ante Monothelitas floruere, adverſus iſtos duplicem in Chriſto voluntatem, duplicemque operationem clariſſime docent. Denique (*c*) S. Auguſtinus pluribus apertiſſimis S. Cypriani teſtimoniis, quæ is multo ante Pelagium ſcripſerat, ejuſdem Pelagii errorem liquido evertit.

Quibus ex omnibus ſequitur, ut, cum Dallæus Patres illis de rebus, priuſquam in quæſtionem vocarentur, obſcuriſſime locutos adſtruit, falſiſſima ipſe loquatur.

Plurimum intereſt. Sed id omittamus. Illud enim cernendum eſt, quod cenſor ex S. Hieronymo adfert; qui in libris Periarchon Origenis errores ineſſe tuebatur: cui cum Ruffinus reponeret, eos libros ab Hæreticis depravatos fuiſſe; idque nonnullis Clementis Alexandrini, & S. Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ſcriptis, in quibus nonnulla vitioſa legi videbantur, probare adniteretur: ei S. Doctor reſpondit, *quod* (*d*) *illi vel alio ſenſu ſcripſerint ... vel certe ante quam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur: innocenter quædam, & minus caute locuti ſunt, & quæ non poſſunt perverſorum hominum calumniam declinare: objiciuntur Origeni crimina, & tu non illum defendis, ſed alios accuſas .... Nunc a te quæritur, hæc, quæ in Origenis libris ſcripta reperiuntur, bona ſint, an mala. Taces, & pro his alia loqueris: Clemens hoc ait: Dionyſius in iſto errore deprehenditur. Athanaſius Epiſcopus ſic Dionyſii defendit errorem: Apoſtolorum ſcripta ſimiliter depravata ſunt: quomodo & nunc ab aliis tibi hæreſeos crimen impingitur, & tu pro te taces, & pro me confiteris. Ego neminem accuſo, pro me tantum reſpondiſſe contentus. Non ſum, quod arguis, ſi tu es, quod accuſaris, ipſe videris*.

Quæ quidem S. Hieronymi conſequentia Dallæus vidit; ſed propterea non attulit; quia ejus argumentatio-

(a) *Vide 3. Diſſert. pag. 43.*
(b) *Vide nos in Theol. Dogm. t. 1. pag. 378.*
(c) *S. Aug. in libris contr. Pelag. & Julian.*

(d) *S. Hier. lib. 2. cont. Ruff. num. 60. Tom. 2. pag. 509.*

nem refellunt. Imprimis enim Hieronymus non indefinite de Eccleſiaſticis, ut Dallæus ſimulat; ſed de Clemente Alexandrino, ac S. Dionyſio verba fecit; quod Ruffinus ſiniſtre accuſabat, quod Arianis faverent: quo ex crimine eos ideo S. Doctor eripuit; quia illi nonnulla *alio ſenſu*, qui adeo ab Ariana hæreſi differt, *ſcripſere*. Quare etſi iidem veteres quibuſdam in libris ante Arii ortum *quædam minus caute, ſed innocenter locuti ſunt; quæ non poſſunt perverſorum hominum calumniam declinare* tamen vel in eorum connexis, vel aliis in textibus caute *alio ſenſu* ratiocinati, calumnias coercuere; quas certe S. Dionyſius Alexandrinus contudit, ſicut ex ejus aſſertionibus *S. Athanaſius* jam celebratus demonſtravit: poſt cujus defenſionem cum Ruffinus adhuc contenderet, ac diceret, *Dionyſium in errore deprehendi*: ex his verbis id abſonum ſequi Hieronymus voluit, quod *Athanaſius Epiſcopus errorem defendit*. Defendit autem contrarium Athanaſius referens, a S. Dionyſio Filium Dei *non* facturam, ſed *Patri Conſubſtantialem* aſſertum eſſe; quæ aſſertio Arii errorem clariſſime evertit. Nunquam igitur in Arii errore Dionyſius deprehenſus eſt, uti Athanaſius ab Hieronymo contra Ruffinum laudatus defenſitavit. Ac ſicuti ex his, quibus, Ruffinus Origenis aliorumque veterum libros ab Hæreticis violatos comminiſcebatur, Hieronymus clare argumentatus eſt, *Apoſtolorum ſcripta ſimiliter depravata eſſe*: non quo hæc, quorum integritatem alibi S. Doctor oſtendit, corrupta putaret: ſed quia id abſurdi ſequeretur ex illo Ruffini commento: ita cum is diceret, Dionyſium in errore deprehendi: hoc ejus commentum eo Hieronymus arguit, quia ſic fieret, ut Athanaſius errorem defendiſſet, qui tamen oppoſitum liquido docuit.

Hos omnes, alioſque Patrum contextus, quibus Dei filius ante omnia creata a Patre genitus ſine ſubſtantiæ & ſciſſione & diverſitate, ac Patri Conſubſtantialis monſtratur, intuiti Perronius, atque Petavius ſuam opinationem, quam de Patribus collaudatis habuerant, excuſſerunt, ac retractarunt,

Nunc amabo te, confer antiquiſſimi Juſtini dicta de Filii Dei æternitate, ac Divinitate cum iis, quæ de Euchariſtia idem tradidit: ac videbis omnino exagitatum Dallæum, qui illa, non iſta proferens, falſiſſime ait, *hæc ab ea, quæ nunc obtinet ſuper poſteriore capite, ſententia non eſſe alieniora, quam illa ſunt a doctrina in Concilio Nicæno illuſtrata, & recepta*. Iſta porro Dallæi verba falſitatis ideo arguuntur; quia Concilii Nicæni decretis conſona ſunt utraque Juſtini documenta: qui ſane docet, *Dei Filium eſſe Deum adorandum, & ante creatas res omnes a Patre genitum non per abſciſſionem ſubſtantiæ, ut cætera omnia, quæ dividuntur*. Atqui in Concilio Nicæno, uti Euſebius teſtatur, explicatum fuit, *Dei Filium eſſe Deum verum, & Patri conſubſtantialem dici: neque per diviſionem, aut lectionem quandam ex Patre ſubſiſtere*.

Conferat illam Juſtini auctoritatem cum iſta Dallæus, & certum habeat, ſuam argutationem a veritate procul abeſſe. Cum enim *Deus verus* ſolum ſit adorandus, & Dei Filius *Deus adorandus* ab Juſtino expreſſe credatur; ob idque idem filius *ante creatas res omnes a Patre genitus ſit non per ſubſtantiæ abſciſſionem*, neve per *diviſionem*, ut etiam in Tertul-

tul-

tulliano, & Conſtantini explicatione legitur: certo certius eſt, illa non modo non aliena eſſe ab hacce enodatione, verum huic penitus conformari; utpote quæ æternum Dei Filium eſſe ejuſdem indiviſæ ſubſtantiæ cum Patre, ſive Patri conſubſtantialem, declarent. Jam vero Juſtinus, Tertullianus, & Nicæna Synodus clare tradunt, Euchariſtici Sacramenti *alimoniam incarnati verbi carnem, & ſanguinem eſſe*, & *veritatis*, ſive *Chriſti corpus*: quibus Auguſtinus adjunxit, quod Dominus *dicendo, hoc eſt corpus meum, ſeipſum ferebat in manibus ſuis* quis iſta aliena eſſe a doctrina Eccleſiæ Catholicæ eadem docentis. Fingere poteſt, niſi ſolus imprudens? Utrique igitur veterum ſermones inter ſe collati, tradunt eandem doctrinam de utroque myſterio; quam Eccleſia Romana & Catholica a Chriſto, ab Apoſtolis, a Patribus, & a Synodo Nicæna percepit.

Atque etiam conſubſtantialis vocem, quæ Dei Filium eſſe ejuſdem ſobſtantiæ indiviſæ cum Patre ſignificat, inſignes Epiſcopi, & Scriptores ab Euſebio, & S. Athanaſio concelebrati protulerunt, & commendarunt ante Antiochenum Concilium: quod ſubinde illud vocabulum non eo ſenſu abſoluto, ac recto, quem etiam ipſe Euſebius oſtendit, ſed alio, quo ipſius Filii ſubſtantiam a Patris ſubſtantia diviſam eſſe Paulus Samoſatenſis errans obtrudebat, negavit: quod igitur hoc malo ſenſu Antiochiæ negatum eſt: id eodem ſenſu ſiniſtro Nicææ affirmatum non eſt: ſed quod ante Antiochenam Synodum recto ſenſu ab inſignibus Epiſcopis, atque Scriptoribus traditum fuerat: hoc a Nicænis Patribus definitum fuit: qui proinde hac in re Antiochenis ob varium illum ſenſum haud contradixere; puriore illius vocis ſignificatione, ac voce ipſa optime uſi. Porro autem in Euchariſtiæ Sacramento verum Chriſti *corpus* reapſe eſſe, adlati Patres ſimpliciter, & liquido affirmant. Ac non ut Dallæus fingit, negant; quod ex ſuperioribus liquet. Et quamvis Tertullianus, & S. Auguſtinus pronuntiarint, panem *figuram fuiſſe*, & a Domino *datum ſignum corporis ſui:* non tamen ſibi adverſati ſunt: quia Tertullianus docuit, panem figuram fuiſſe quidem in veteri, non in novo Teſtamento; cujus in Sacramento Euchariſtico *veritatis eſt corpus:* & quoniam, ut vidimus, Auguſtinus panem non nominat; atque adeo ejus ſolas ſpecies externas vult eſſe ſignum Corporis Chriſti in Euchariſtia exiſtentis; cujus in inſtitutione Dominus *ſeipſum ferebat in manibus ſuis*. Ergo iſti, aliique veteres diverſo ſenſu figuram, ſignum, ſeu ſpecies externas, & veritatem Corporis Chriſti accipientes; ipſum Chriſti Corpus reapſe in Euchariſtia extare, abſolute affirmarunt, id nullo pacto inficiati, nec ſibi etiam in ſpecie adverſati ob iſtarum vocum, ſignorum, & rei diverſitatem. Jam Concilium Antiochenum non conſilio quidem nullo, ſed innocenter illud idem negarunt vocabulum; quo & Paulus Samoſatenſis abutebatur, & ipſum in alienam, ac minus rectam ſignificationem errore referebat. Unde Antiochenæ Synodo particulari generale Nicænum Concilium Œcumenicum in ſpecie apparenti quidem propter illam unam vocem, ſed non in ipſa re contradixit; quippe quod contra Arianos aperte negaverit, conſubſtantia lis vocem accipiendam eſſe in ſenſu *diviſionis* Divinæ ſubſtantiæ;

tiæ; quem ſenſum *ſciſſionis* S. Juſtinus multo ante Paulum Samoſatenſem, qui illum ſenſum male genuit, diſerte negaverat. Non igitur Ariani vel eam vocis negationem Antiochiæ uſurpatam ducere in ſuam errantem ſententiam, vel conſubſtantialis vocabulum rectoſenſu ſumptum negare, jure poterant; non quia, ut Dallæus falſo arguit, Antiocheni Epiſcopi vocem illam innocenter excluſerunt, ſed quia; ut S. Athanaſius advertit, eidem voci falſum eum ſenſum Samoſatenſis alligavit contra antiquiorum Patrum traditionem quam ſequens Nicænum Concilium ſententias veterum, qui Filium Dei conſubſtantialem Patri eſſe, ante Synodum Antiochenam affirmarant, attulit Euſebio, & S. Athanaſio teſtibus. Sic igitur, quoniam adverſus Dallæi falſitates adducimur veritate, poſſumus, ac debemus afferre laudatas Patrum ſententias de Euchariſtia, quas de induſtria, non aliis argumentis, contra recentiorum hæreticorum controverſias ſcripſere. Et uti fidelis Athanaſius a Dallæo adlegatus poſt Dionyſium Alexandrinum hujus auctoritates, quibus is Dei Filium Patri conſubſtantialem profeſſus erat, adhibuit, quo & Arianos retunderet, & quædam Dionyſii, ac Synodi Antiochenæ dicta ad illam conſubſtantialis veritatem adduceret. Ita non heterodoxi Dallæi, ſed fidelis Theologi partes ſunt, Patrum teſtimonia, præſertimque ad Euchariſtiæ inſtitutionem ſpectant, in eaque Chriſti Corpus eſſe declarant, producere, & adverſarios revincere, & aliqua veterum verba, quæ Dallæo cum fide orthodoxa de Euchariſtia, aliiſque capitibus pugnare falſo videntur, rectius exponere. At vero Dallæi interpretatione S. Dionyſius Alexandrinus non eget; utpote qui eos, a quibus Chriſtus Dei Filius *ποίημα factura* vocabatur, *reprehenderit*, ac facturam humanitatem Chriſti intellexerit, S. Athanaſio referente; qui ſicut ex ejus connexis, exque aliis locis jam adductis lucem accepit, eaque bonum ſenſum habere monſtravit: ita nos de utroque myſterio protulimus Patrum dicta, aliaque loca, non, ut cenſor falſe queritur, antecedentibus, & conſequentibus mutila, ſed hiſce referta, quæ utrumque myſterium clare probant & nodum, qui Dallæo inſolubilis eſt, ſolvunt, ac tollunt.

De Patrum arcanis.

PErgamus ad removendas alias Patrum obſcuritatis cauſas, quas hic, & ſequenti capite Dallæus ſubjecit, haſque eſſe perperam dixit; quod Patres & interdum animi ſui ſenſa præſertim de Euchariſtia occultent; & quæ credunt, taceant; quæ quoniam occulta cenſor ipſe falſo putavit; ideo ab aliis arcana dicta fuere.

At ne in hiſce conſiderandis animus in confuſas ſententias diſtrahatur; neve approbet falſa pro veris: profecto a certis Eccleſiaſticis ritibus diſtinguenda ſunt Catholica Dogmata; quæ veteres aut Apologiis, aut commentariis, aut Orationibus, aut litteris, aut libris adverſus Hæreticos exaratis, aut aliis ſcriptis mandarunt.

Hac poſita diſtinctione, contra Dallæum aſſerimus, pleraque omnia Dogmata orthodoxa, quæ Patres crediderunt, ac de rebus ad fidem ſpectantibus, de Sacramentis, deque Euchariſtia docuerunt, Eccleſiæ Apoſtolicæ, & Catholicæ nota, & clara fuiſſe; quorum tamen aliqua non ſemper, ſed aliquando Paganis, & quædam

dam Cathecumenis; ſolos autem aliquos ritus nonnullis, prudenter celarunt.

Primum illarum rerum teſtis S. Juſtinus Martyr citetur de priori Apologia: Ubi iſte adverſus infideles qui Chriſtianos in Sacrificiis humana carne veſci comminiſcebantur, Euchariſtiæ ſacrificium, & Sacramentum perſpicue ſic tractat: (a) *Nos autem poſtquam eum, qui fidem ſuam, & aſſenſum doctrinæ noſtræ. Teſtatus eſt. ſic abluimus, ad eos, qui dicuntur fratres, deducimus, ubi illi congregati ſunt, communes preces & pro nobiſmetipſis, & pro eo, qui illuminatus eſt, & pro aliis ubique Omnibus intento animo facturi, ut veritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia dignentur, ut rectam operibus vitam agentes, & præceptorum cuſtodes inveniamur, quo ſalutem æternam aſſequamur. Invicem oſculo ſalutamus, ubi deſumus precari... deinde ei, qui Fratribus præeſt, panis affertur, & poculum aquæ, & Vini: quibus ille acceptis laudem & gloriam univerſorum Parenti per nomen Filii, & ſpiritus Sancti emittit, & Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exequitur, poſtquam preces, & Euchariſtiam abſolvit: populus omnis acclamat.* Amen. *Amen autem Hebraica lingua idem valet, ac* fiat. *poſtquam vero is, qui præeſt, preces abſolvit, & populus omnis exclamavit; qui apud nos dicuntur Diaconi, panem, & vinum, & aquam, in quibus gratiæ actæ ſunt, unicuique præſentium participanda diſtribuunt, & ad abſentes perferunt. Atque hoc alimentum apud nos vocatur Euchariſtia, cujus nemini alii licet eſſe participi, niſi qui credat vera eſſe, quæ docemus, atque illo ad remiſſionem peccatorum; & regenerationem lavacro ablutus fuerint, & ita vivat, ut Chriſtus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Salvator noſter carnem, & Sanguinem habuit noſtræ ſalutis cauſa; ſic etiam illam, in qua per precem ipſius verba continentem gratiæ actæ ſunt, alimoniam, ex qua Sanguis, & carnes noſtræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu & carnem & Sanguinem eſſe edocti ſumus.*

Deinde clemens Alexandriuus immerito oppoſitus eſt a Dallæo, qui, ut veritatem haud perſpiceret, antecedentia illius antiqui ſcriptoris omiſit; quibus is docuit, „ (*b*) ei, qui
„ ſecrete ea, quæ traduntur, poteſt
„ ſervare, apertum iri, quod oper-
„ tum eſt, ut veritas, & id, quod
„ multis eſt occultum, fiat paucis
„ manifeſtum. Nam cur omnes ne-
„ ſciunt: Cur autem non eſt ab
„ omnibus amata juſtitia, ſi eſt om-
„ nium juſtia: ſed enim traduntur my-
„ ſtice myſteria, ut ſit etiam in ore
„ loquentis id; quod loquitur: po-
„ tius autem non in voce, ſed in
„ intelligentia. *Dedit autem Deus*
„ *Eccleſiæ* (*c*) *alios quidem Apoſtolos,*
„ *alios vero Prophetas, alios Evange-*
„ *liſtas; alios vero Paſtores,* & *Do-*
„ *ctores ad perfectionem Sanctorum,*
„ *ad opus miniſterii ad ædificationem*
„ *Corporis Chriſti.* Horum itaque meo-
„ rum commentariorum Scriptura,
„ ſcio,

(a) *S. Juſtini apol.* 1. *n.* 65. *pag.* 82.

(b) *Clem. Alex. lib.* 1. *Strom. pag.* 275. *& ſeq. ult. edit. Colon.*

(c) *Eph.* 4.

„ ſcio, quam ſit imbecilla, ſi conferatur cum illo ſpiritu gratia pleno, quem ut audiremus, digni ſumus habiti: ſit autem imago, archetypum in memoriam revocans, ei, qui thyrſo ictus fuerit. *Sapienti enim*, inquit, (*a*) *loquere*, & *eris ſapientior*, quin etiam habenti adiicietur. Profitetur autem non arcana ſatis poſſe interpretari ;(multum abeſt) ſed tantum in memoriam revocare, ſive aliquando obliti fuerimus, ſive ne obliviſcamur. Multa autem rectæ ſcio effluxiſſe propter longitudinem temporis, ut quæ abſque ſcriptis effugerint. Unde memoriæ imbecillitatem ſublevans, expoſitionem certis capitibus conſtantem, ſalutare memoriæ monumentum mihi comparans, hac neceſſario uſus ſum deſcriptione. Sunt ergo quædam, quorum ne recordati quidem ſumus: erat enim apud viros beatos magna quædam vis. Sunt etiam quædam non adnotata, quæ cum tempore manſiſſent, nunc effugerunt, aliqua autem, quæ extinguebantur, ut quæ flacceſcerent in ipſa cogitatione. Quoniam autem iis, qui non non ſunt probati, non facile poteſt exiberi ejuſmodi miniſterium: hæc monimentis ſuſcitans, nonnulla quidem conſulto pretermitto, timens ſcribere; quæ etiam cavi dicere, non utique invidens; neque enim fas: ſed iis metuens, qui in ea inciderent, ne in aliam forte partem accipientes, laberentur, & puero gladium, ut dicunt, qui proverbiis utuntur, præbere inveniremur. „

S. Baſilius magnus de dogmatibus in Eccleſia aſſervatis, quæ fidelibus patebant, ſic egit: *ex aſſervatis in Eccleſia* (*b*) *Dogmatibus*, & *Traditionibus alia quidem habemus e doctrina ſcripto prodita, alia vero nobis in Myſterio tradita recepimus ex traditione Apoſtolorum. quorum utraque vim eandem habent, ac pietatem nec quiſquam contradicet. Nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quæ ſint Eccleſiæ inſtituta. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti aggrediamur reiicere, imprudentes Evangelium in ipſis rebus præcipuis lædemus, immo potius prædicationem ad nullum nomen contrahemus...... invocationis verba, cum conſiſtitur panis Euchariſtiæ*, & *poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit! nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat apoſtolus ante Evangelium; verum alia quoque* & *ante* & *poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad Myſterium; quæ* & *traditione non ſcripta accepimus. Benedicimus autem* & *aquam baptiſmatis*, & *oleum unctionis; imo ipſum etiam, qui baptiſmum accipit. Ex quibus ſcriptis? nonne a tacita, ſecretaque traditione? ipſam vero olei unctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? jam ter immergi hominem unde hauſtum? reliqua autem, quæ fiunt in baptiſmo, veluti renuntiare Satanæ*, & *Angelis ejus, ex qua ſcriptura habemus? Nonne ex minime publicata*, & *arcana hac doctrina, quam Patres noſtri ſilentio quieto, minimeque curioſo ſervarunt. Quippe illud probe didicerant, Myſteriorum reverentiam ſilentio*

(a) *Prov.* 1.
(b) *S. Baſil. in lib. de Spir. S. cap.* 27. *pag.* 54.

lentio conſervari. Namque nec intueri fas eſt non Initiatis: qui conveniebat, horum Doctrinam ſcriptis vulgari? aut quid tandem ſibi voluit manus ille Moſes, qui non omnia, quæ erant in templo, paſſus ſit, omnibus eſſe pervia? Sed Prophanos extra Sacros Cancellos ſtatuit, ac priora quidem atria Purioribus permittens, levitas ſolos dignos cenſuit Numinis miniſterio: mactationes autem Holocauſtomatum, oblationes, & reliqua, quæ ad rem Sacram pertinent, Sacerdotibus aſſignavit: atque unum ex omnibus ſelectum in adyta admiſit: & ne hunc quidem ſemper, ſed uno tantum die quotannis. Quin & hujus diei certam horam qua fas eſſet ingredi, præſtituit. Quo propter novitatem, & inſolentiam cum ſtupore intueretur Sancta Sanctorum, probe ſciens, pro ſua ſapientia res uſu tritas, & ex ſe obvias, expoſitas eſſe contemptui: rebus vero, quæ ſepoſitæ ſunt, ac raræ, quodammodo naturaliter conjunctam eſſe ſummam admirationem, ac ſtudium: ad eundem profecto modum & qui initio certos Eccleſiæ ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres; in occulto, ſilentioque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures effertur: hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum notitia neglecta propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud utique eſt dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata ſilentur, prædicationes vero publicantur. Eſt autem ſilentii ſpecies etiam obſcuritas, qua utitur Scriptura, intellectus difficilem reddens dogmatum Sententiam idque ad legentium utilitatem. Hanc ob cauſam omnes ſpectamus ad orientem, cum precamur: pauci tamen novimus, quod id facientes, antiquam requiramus patriam, videlicet paradiſum, quem plantavit Deus in Eden ad orientem. Erecti itidem perficimus deprecationes in una ſabbathi: ſed rationem non omnes novimus: non enim ſolum quod veluti ſimul cum Chriſto reſuſcitati, quæ ſurſum ſunt, quærere debeamus, in die reſurrectionis datæ nobis gratiæ ſtando precantes noſmetipſos commonefacimus, ſed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi ſæculi ... neceſſario igitur in hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet, preces ſuas ſtando abſolvere, ut aſſidua commonitione vitæ illius nunquam deſituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum illud quinquaginta dierum tempus admonitio eſt reſurrectionis, quam in altero Sæculo expectamus. Nam unus ille, & primus dies ſepties multiplicatus, ſeptem Sacræ Pentecoſtes hebdomadas abſolvit, a primo enim incipiens in eundem deſinit, per ſimiles, qui in medio intercedunt, dies quinquagies evolutus. Unde & æternitatem ſimilitudinem refert, dum velut in motu circulari ab iiſdem orſus ſignis, in eadem deſinit. Quo in die, corporis erecto habitu precari potius nos Eccleſiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem quaſi tranferentes mentem noſtram a præſentibus ad futura. Inſuper & quoties genua flectimus, & rurſus erigimur, ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum in terram delapſi ſumus, & per humanitatem ejus, qui creavit nos, in cælum revocati ſumus: Deficies me dies ſi Eccleſiæ Myſteria citra ſcriptum tradita pergam recenſere. Omitto cætera. Ipſam Fidei profeſſionem in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quibus habemus ſcriptis? Etenim ſi quoe niam ex baptiſmi traditione juxta pietatis conſecutionem ut baptizamur, ita

& credere debemus, ſimilem baptiſmo profeſſionem exhibemus: concedant etiam nobis, ut juxta eandem conſequentiam glorificationem Fidei conſimilem perſolvamus. Quod ſi glorificandi modum veluti ſcripto non traditum rejiciant; proferant nobis & profeſſionis Fidei, & cæterorum, quæ commemoravimus, probationem e Scripturis adhæc cum tam multa ſint, quæ ſcripto prodita non ſunt, & tantum habent momenti ad pietatis Myſterium: unicam dictiunculam, quæ a majoribus ad nos devenit, non concedent, quam nos ex inaffectata conſuetudine in Eccleſiis, quæ perverſæ, & corruptæ non ſunt, permanentem invenimus, haud mediocrem rationem habentem, neque mediocre adjumentum ad Myſterii vim afferentem.

S. Hieronymus in apologia adverſus Ruffinum, quam anno 402. conſcripſerat, egit de traslatione librorum Periarchon Origenis, quos Ruffinus in latinum perperam vertit; qui tamen S. Doctoris commentarios quoſdam, in quibus is aliquas græcas Origenis voces latine proferebat, criminari videbatur: contra quem Hieronymus iſta perſcripſit: „ (*a*) illud autem, quod tergiverſaris, & dicis, te ea tranſtuliſſe de græco, quæ ego prius latino ſermone tranſtulerim, non ſatis intelligo, quid velis dicere, niſi forte adhuc commentarios ad Epheſios criminaris, & quaſi nihil tibi ſuper hoc reſponſum ſit, obduras frontis impudentiam, nec auribus obturatis, voces recipis incantantis. Nos in commentariis, & illis, & aliis, & noſtram, & aliorum ſententiam explicavimus. Aperte confitentes, quæ ſunt Hæretica, quæ Catholica. Hic eſt enim commentariorum mos, & explanantium Regula, ut Opiniones in expoſitione varias perſequantur, & quod vel ſibi, vel aliis videtur, ediſſerant: & hoc non ſolum Sanctarum interpretetes Scripturarum, ſed Sæcularium, quoque litterarum explanatores faciunt, tam latinæ linguæ, quam Græcæ. Tu in libris περὶ Ἀρχῶν idpſum obtendere pon potes. Arguet enim te Præfatiuncula tua, in qua polliceris, detruncatis malis, & quæ ab Hæreticis addita fuerant, optima remanſiſſe; ut quidquid ibi vel bonum, vel malum dixeris, jam non ei imputetur, quem transfers, ſed tibi, qui interpretatus es; niſi forte Hæreticorum errores emendare debueras, & Origenis mala proferre in medium. Sed de hoc, quia nos remittis ad codicem, ante tibi reſpondimus. „

Quare ut prius generatim, ac deinceps ſpeciatim de iis, quæ modo propoſuimus, loquar: profecto S. Juſtinus antiquiſſimus ſcriptor Apoſtolicus, quem Chriſtiana Religio habuit & maxime fidelem, & minime timidum ſui defenſorem, circumſcribit, atque expungit illud opinationis genus, quo DalIæus vult, Patres ſæpe de Fidei rebus ſilviſſe; cui inani voci illa Juſtini opponuntur, quibus is ait, quod *Eucbariſtiæ nemini alii* utique baptizato *licet eſſe participi, niſi qui credat vera eſſe quæ docemus*. Non igitur Juſtinus ea, quæ credebat, identidem tacuit: ſed unumquemque baptizatum *docuit*. Cumque Juſtini tempore, ſive ſecundo ſæculo permul-

ti

[a] *S. Hieron. lib. 3. cont. Ruff. c. 11. Tom. 2. pag. 340 & ſeq.*

ti ſacro baptiſmate abluti eſſent, quibus illa *vera credentibus Euchariſtia* dabatur: plane ſequitur, ut iſtos de illis *veris credendis docuerit* Catholica Eccleſia: cui proinde non occulta, ſed comperta erant *vera* dogmata Patrum ac ſenſa.

Et quidem Juſtinus ut Chriſtianam religionem tueretur illa Ethnicis dixit; teſtatus tamen, quod baptizati *eadem vera* ab Eccleſiaſticis *docerentur*: qua in doctrina verſatos Clemens Alexandrinus, *traditam* fidei *veritatem*, quam *paucis apertam*, & *manifeſtam faciebat* certe perſpexit in *Eccleſia* edocta ab *Apoſtolis*, atque a *Paſtoribus*, ac *Doctoribus*; quos ex Apoſtolo Paulo hic idem Clemens, adlegavit; qui proinde quamvis iis, qui probati, aut baptizati non fuerant, fidei Myſteria aperire prudenter noluerit: nihilominus eadem myſteria, quæ plures Eccleſiæ Paſtores non tacebant, ſed *in occulto* probatis *tradebant*, in ſuo *commentariorum opere paucis aperta voluit*. Non igitur hiſce Clemens ſua ſenſa, nec Fidei *veritatem*, quæ *Eccleſiæ* Catholicæ, ac ſic multis perfecta erat, occultavit, ſed *manifeſtam fecit*; cujus Catholicæ veritatis dogmata ex Juſtino, aliiſque Patribus apertius patent & latius:

Silentium igitur illud fuit, res ſacras *prophanis*, ac *non initiatis* aliquando occultare, ne contemnerentur; quas tamen *Eccleſia*, in qua *traditiones*, & *dogmata aſſervata* fuerunt, *ſuos alumnos docebant*: quibus proinde nec Sacra Myſteria, nec ſua *inſtituta*, nec *dogmata* abſcondidit; quæ a Sacræ *Scripturæ obſcuritate*, in qua quædam ſilentii ſpecies eſt, eo differunt, quod iſta Patrum interpretationibus eget, ſine quibus plane non noſcitur: illa vero ut a *Majoribus* tradita *tenui experientia*, & *evidenti cognitione noſcantur*, ac ſic nulla involvantur obſcuritate; ſicuti docet Baſilius; qui adiicit, eadem *dogmata*, *aſſervata* quidem *in Eccleſia*, *ſileri*; quæ proinde non ipſi Eccleſiæ, in qua ſunt aſſervata, ſed Prophanorum vulgo, *ac non initiatis*, de quibus S. Doctor antea locutus eſt, celabantur, aut ſilebantur, quare quæ *Catholica* ſunt, S. Hieronymus ſuis in *commentariis aperte confitetur*. Nullum ergo ſilentium vel de *Catholicis* dogmatibus, vel de *hæreticis* aſſertionibus Patres in Eccleſia fecere; ſed illa *aperte confeſſi* ſunt.

Etenim Dallæus ordinem invertens, alibi (*a*) de illo ſilentio iterum agit, & fruſtra objicit, quod S. Hieronymus dicat, (*b*) *Commentarii quid Operis habebus! alterius dicta edisſerunt*: „ *quæ obſcure dicta ſunt, plano ſermone manifeſtant, multorum ſententias replicant, & dicunt, hunc locum quidam ſic ediſſerunt: alii ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum, & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector diverſas explanationes legerit; & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, ju dices, quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diverſæ interpretationis, & contrariorum inter ſe ſenſuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum!*„ *in eun-*

I 2 dem

(a) Dall. lib. 1. de uſu Patr. cap. VI. pag. 15. & ſeq.

[b] S. Hier. in epiſt. ad Pam. & Marc.

Digitized by Google

*dem ſenſum loquitur variis operum ſuo-
rum locis. Hic eſt Commentariorum
mos*, (a) *& explanationum regula, ut
opiniones ediſſerant:* „ *& hoc non ſo-
„ lum ſanctarum interpretes Scriptu-
„ rarum, ſed ſæcularium quoque lit-
„ terarum explanatores faciunt tam la-
„ tinæ linguæ, quam græcæ*. Fateor
„ valde miram eſse hanc commen-
„ tandi rationem. Quid enim certi,
„ quid comperti haurire lector poteſt
„ ex hujuſmodi variarum opinionum
„ in acervum ita congeſtarum far-
„ ragine, ſi nullo indicio demonſtre-
„ tur, quæ ſit Patrum vel ſequen-
„ da, vel fugienda, quæ probabilis,
„ quæ neceſſaria? ſed quæcumque cau-
„ ſa ad id eum induxerit; facile eſt
„ videre, ipſum pro ſuis non agnoſ-
„ cere quæcumque in Commentariis
„ ſuis ponit. Et cum generaliter lo-
„ quatur de forma, & conditionibus
„ commentariorum dubium non eſt,
„ quin cæteri Patres in eadem de
„ commentariorum legibus ſenten-
„ tia fuerint: unde quamvis in ejus
„ generis ſcriptis ſententia, vel ex-
„ plicatio nobis occurrat liquido tra-
„ dita: non ideo ſequitur, auctorem
„ in ea fuiſſe ſententia. Sæpe monet
„ Hieronymus, Commentarios ſuos
„ contextos totos eſſe ex Origenis,
„ Didymi, Apollinaris, & aliorum
„ expoſitionibus, qui jam tum male
„ audiebant. Hoc mirandum. Nemo
„ illo acrius in iſtos auctores inve-
„ ctus eſt, qui ſocietatis inter ipſum,
„ Theophilum, & Epiphanium ad-
„ verſus Origenem, ejuſque diſcipu-
„ los initæ facile princeps eſſet, &
„ tamen in ejus commentariis parum
„ abeſt, quin Origenis explicationes
„ utramque paginam faciant, quas
„ non temperatas lectoribus impru-
„ dentibus offert, ſic in commenta-
„ riis in Prophetas perpetuo congerit
„ varias, etiam Judæorum, expli-
„ cationes, ſi Patribus, cujus eſſent
„ expoſitiones, quas afferunt, nos
„ monere viſum fuiſſet: ea Scriptu-
„ ras interpretandi ratio plus utili-
„ tatis, minuſque confuſionis attu-
„ liſſet. Sed id raro obſervant, ut
„ animadvertere eſt in expoſitioni-
„ bus Hilarii, Ambroſii, & alio-
„ rum, qui Origenem, & alios com-
„ pilent. (*b*) Hieronymus vult Pe-
„ trum a Paulo œconomice reprehen-
„ ſum; non quod revera eum re-
„ prehenſibilem exiſtimaret, ſed ut
„ ea reprenſione Gentiles ædificaren-
„ tur, & ſervarentur. Auguſtinus
„ cum hanc ſententiam non proba-
„ ret; ſcripſit ea de re ad Hierony-
„ mum. Quandoquidem ergo, Hie-
„ ronymo teſte, hæc eſt omnium
„ in genere commentariorum apud
„ veteres ratio; quomodo nobis con-
„ ſtare poterit, an illi, quæ in iis
„ habentur, ex ſua Sententia tradi-
„ derint; an ex quopiam alio tranſ-
„ ſcripſerint. Supereſt e ſcriptis Pa-
„ trum genus polemicum; cum ad-
„ verſus Fidei ſuæ adverſarios, Eth-
„ nicos, Judæos, vel Hæreticos diſ-
„ putarent, mirandum non eſt, ſi
„ in his rebus Patrum diſſertationes
„ iis moribus, & quaſi coloribus non-
„ numquam inſpergi, & variari vi-
„ deamus, quibus ſuffunduntur eo-
„ rum ora, quorum animi ejuſmodi
„ ſtudiis commoventur. In hoc nam-
„ que ſcriptorum genere fas eſſe exi-
„ ſtimabant, quicquid ad cauſam
„ facit, adhibere, ut alias infirmum,
„ pariterque quicquid ſuſceptæ cau-
„ ſæ

(a) *S. Hier. in Apol. adv. Ruff.*

(b) *S. Hier. in Comment. epiſt. ad Gal.*

„ ſæ repugnat, refutare, licet alias
„ verum, & admittendum. En tibi
„ Hieronymi verba. Is enim obſer-
„ vavit, (*a*) *ſimul dicimus, plura*
„ *eſſe videlicet genera dicendi, & in-*
„ *ter cætera aliud eſſe γυμναςικῶς ſcri-*
„ *bere, aliud δογματικῶς: in prioris*
„ *vagam eſſe diſputationem, & ad-*
„ *verſario reſpondentem nunc hæc,*
„ *nunc illa proponere, argumentari,*
„ *ut libet, aliud loqui, aliud agere,*
„ *panem, ut dicitur, oſtendere, la-*
„ *pidem tenere, inſequenti autem aper-*
„ *ta frons, & ut ita dicam, ingenuitas*
„ *neceſſaria eſt, aliud eſt quærere, aliud*
„ *definire: in altero pugnandum, in al-*
„ *tero docendum eſt. Tu me ſtantem in*
„ *prælio, & de vita periclitantem*
„ *ſtudioſus Magiſter doceas? noli ex*
„ *obliquo, & unde non putaris, vul-*
„ *nus infligere, directo percute gla-*
„ *dio; turpe tibi eſt, hoſtem dolis fe-*
„ *rire, non viribus, quaſi non hæc*
„ *ars ſumma pugnantium ſit, alibi*
„ *minari, alibi percutere, legite, ob-*
„ *ſecro vos, Demoſthenem. Legite Tul-*
„ *lium; ac ne forſan Rhetores vobis*
„ *diſpliceant quorum artis eſt veriſi-*
„ *milia magis, quam vera dicere:*
„ *legite Platonem, Theophraſtum, Xe-*
„ *nophontem, Ariſtotelem, & reli-*
„ *quos qui de Socratis fonte manan-*
„ *tes, diverſis cucurrere rivulis: quid*
„ *in illis apertum, quid ſimplex eſt?*
„ *quæ vera.., qui ſenſus.. Origenes*
„ *Methodius, Euſebius, Apollinaris*
„ *multis verſuum millibus ſcribunt ad-*
„ *verſus Celſum, & Porphyrium. Con-*
„ *ſiderate, quibus argumentis & quam*
„ *rubris problematibus Diaboli Spi-*
„ *ritu contexta ſubvertent, & quia*
„ *interdum coguntur loqui; non quod*
„ *ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, di-*
„ *cunt adverſus ea, quæ dicunt Gen-*
„ *tiles. Taceo de latinis ſcriptoribus,*
„ *Tertulliano, Cypriano, Minutio,*
„ *Victorino, Lactantio, Hilario; ne*
„ *non tam me defendiſſe, quam ali-*
„ *os videar accuſaſſe*. Neque aliud
„ volebat Baſilius, cum in reſpon-
„ ſione pro Gregorio Neocæſarienſi
„ diſtinguebat inter dogmatice diſſe-
„ rere, & diſputare. Eodem redit,
„ quod dicunt aliquid per diſpenſa-
„ tionem, vel æconomiam. „

His ergo Dallæus opponit. S. Hieronymum loqui & de S. Scripturæ Commentariis, in quibus hic S. Doctor ſententiam maxime neceſſariam, quæ ſcilicet fidem ſpectat, ſilentio prætereat: & de Polemicis adverſus Gentiles ſcriptis, in quibus quicquid aliqui veteres ſentiant, taceatur. Taceat ipſe Dallæus, qui aliquos Hieronymi textus legens, & venenato ſpiritu circumſpectans, ſi quas eorum partes neceſſarias lectori eriperet: has, ut fucum faceret, abſtulit; quas animo circumſpicere, & ipſarum aliquas e ſuperioribus locis iterum afferre neceſſum eſt; ut & argumentum refutetur, & Cenſoris invidia reprimatur.

Enimvero S. Hieronymus, ſe Origenis erroribus captum non fuiſſe, adverſus Ruffinum hoc modo ſignificat: „ (*b*) Ego enim in commenta-
„ riis ad Epheſios ſic Origenem &
„ Didymum & Apollinarium ſecutus
„ ſum, (qui certe contraria inter ſe
„ habent dogmata) ut Fidei meæ non
„ ammitterem veritatem. Commen-
„ tarii quid opus habent? alterius
„ dicta ediſſerunt; quæ obſcure ſcri-
„ pta ſunt, plano ſermone manife-
„ ſtant;

(a) *Hier. Ep. ad Pam.*
[b] *S. Hier. lib. 2. contr. Ruff. num. 26. pag. 471. Tom. 2.*

„ ſtant; multorum ſententias replicant, & dicunt, hunc locum quidam ſic ediſſerunt; alii ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum, & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector, cum diverſas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit; judicet: quid verius ſit. „ Ac rurſus alegatis *Commentariis ad Epheſios* ſic loquitur: „ (*a*) nos in Commentariis & illis, & aliis & noſtram, & aliorum ſententiam explicavimus, aperte confitentes quæ ſunt Hæretica quæ Catholica. Hic eſt enim commentariorum mos, & explanantium regula, ut opiniones in explicatione varias perſequantur, & quod vel ſibi, vel aliis videtur, ediſſerant. „

Præterea S. Doctor de eadem Cauſa, deque ipſis commentariis agit, ad Pammachium id ſcribens: „ (*b*) Objiciunt mihi, quare Origenem aliquando laudaverim. Ni fallor, duo loca ſunt, in quibus eum laudavi: præfatiuncula ad Damaſum in Homilias Cantici Canticorum, & Prologos in librum Hæbraicorum nominum. Quid ibi de dogmatibus Eccleſiæ dicitur? quid de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto? quid de carnis reſurrectione? quid de animæ ſtatu, atque ſubſtantia. Simplex interpretatio, atque doctrina ſimplici voce laudata eſt. Nihil ibi de Fide, nihil de dogmatibus comprehenſum eſt. Moralis tantum tractatur locus, & allegoriæ nubilum ſerena expoſitione diſcutitur. Laudavi interpretem, non dogmatiſten, ingenium, non fidem, Philoſophum, non Apoſtolum, quod ſi volunt ſuper Origene meum ſcire judicium; legant in Eccleſiaſten commentarios, replicent in Epiſtolam ad Epheſios tria volumina, & intelligent, me ſemper ejus dogmatibus contraiſſe. „

Clamat itaque veritas, fraude fieri, quod Dallæus priorum Hieronymi textuum partes ſecet, antecedentes tollat, & ſolum conſequentes adleget; quæ tamen omnes connexæ, & repetitæ ad ejus dolos aperiendos, atque ad evellendam ipſius opinationem maxime valent.

Nam primum Hieronymus monſtrat, Origenem, Didymum, & Apollinarium contraria inter ſe habuiſſe dogmata; & idcirco in *Commentariis* Epiſtolæ Apoſtoli Pauli ad Epheſios, cujus *dicta obſcura plano* ſermone maniſeſtabat, & aliorum explanationes adducebat, perſpici *Fidei veritatem*: a cujus *Catholicis dogmatibus morales* Scripturarum *expoſitiones*, & *opiniones in explicatione varias* S. Doctor diſtinguit; qui quidem has poſteriores probabiles explanationes in *lectoris* opinione relinquit, ut quæ *teſtimoniis*, & *ratione nituntur*, *diſcat* ac probet, quæ autem iſtis haud firmantur, improbet, atque *judicet*, *quid verius ſit*. Sed tamen Hieronymus ante illa verba, quæ ex ipſius opere adverſus Ruffinum compoſito Dallæus poſterius adduxit, quæque *opiniones in explicatione varias* afferunt, diſerte ait; *in comentariis noſtram & aliorum ſententiam explicavimus*, *aperte Catholica confitentes*. Cur

(*a*) *S. Hier. in cit. lib. 3. Contr. Ruf. pag.* 541. 518. *& ſeqq.*
(*b*) *S. Hier. Epiſt.* 81. *ad Pam. & Ocean. pag.*

Cur iſta antecedentia Dallæus omiſit? Cur opinionum acervum, & farraginem S. Doctori ſiniſtre impoſuit! Nonne illa ut ab iſto abraſa calliditatem clamitare videntur quamquam mihi nihil tam mirum eſt, quam miras commentationes fingi a Dallæo, cui erant, quæ paulo ante dixi, notiſſima: illud certe, quod a cenſore excogitatum eſt, debemus effugere. Nam certiſſima dogmata, & *Catolica* de communioribus Sacræ Scripturæ interpretationibus, quas & Patres faciunt, & ab aliis probabilibus explanationibus Hieronymus ſecernit, ſumamus & ſequamur oportet. Nullum ergo in his ſilentium dogmatum, nulla opinionum varietas, nulla dubitatio, nullaque obſcuritas eſt: ſed clariſſimo indicio, & clariſſima voce dicitur, ac demonſtratur, quæ tenenda ſint, quæque fugienda; quoniam Hieronymus *Catholica aperte confitetur*, & *hæretica* accuſat; qui in tantis errorum tenebris, quantas Origenes, & Dallæus offundunt, lumen clariſſimum menti præfert, ut cauſam, quam S. Doctor informavit, quamque Dallæus ſubdole haud dixit, defendamus: etenim Hieronymus *aperte* ea docuit, ut Origenis errores evitarentur, & *Catholica* dogmata aſſererentur. Hinc Dallæus falſiſſime ait, quod, quæcumque cauſa ad id eum induxerit, & facile eſt videre, ipſum pro ſuis non agnoſcere, quæ in ſuis Commentariis ponit. Sed nihil firmamenti iſta falſitas habet ut facillimum eſt videre in ſuperioribus locis, in quibus Hieronymus ait, quod in *commentariis noſtram ſententiam explicavimus*. Quæ igitur adverſus errores maxime Origenis S. Doctor in *illis* operibus tradit: hæc ut ſua, ſive ut *ſuam ſententiam* tenet, ac noſcit. Cumque præter *Opiniones*, aut præter probabiles aliquarum ſacrarum litterarum expoſitiones etiam in dogmatum genere commentariorum formam ſtatuat, in qua ſcilicet *Catholica* affirmari, *Hæretica* everti, & *aliorum ſententia* adduci debent: tum dubium non eſt, quin *alii* Patres in eadem iſta *ſententia* de Commentariorum legibus, deque explanandis ſacris dogmatibus fuerint; quam explanationem proinde ut *ſuam ſententiam* liquido traditam habuerunt; in qua certo iſtos authores fuiſſe, plane ſequitur ex Hieronymi teſtificatione repetita adverſus Dallæum contraria errata aſſerentem; quippe quia *aperta Catholicorum dogmatum Confeſſione* S. Doctor in *Commentariis ſuam, aliorumque ſententiam explicavit*; ac ſic de hiſce *Catholicis* rebus Patres neutiquam ſiluerunt.

Nec vero Hieronymus ſepe monuit, Commentarios ſuos totos contextos eſſe ex Origenis, Didymi & Apollinaris expoſitionibus neque etiam utramque Commentariorum Hieronymi paginam faciunt Origenis explicationes; quarum aliquibus notam S. Doctor inuſſit. Hoc mirandum, quod Dallæum contraria objicientem feſellerit errans opinio; qua S. Doctoris litteras a nobis commendatas abſcondidit; quibus Hierouymus præmonuerat, & *duo eſſe loca*, in quibus Origenem ut *interpretem*, *non* ut *dogmatiſten*, *laudavit*: & ſe errantibus iſtius *dogmatibus*, cum *Commentarios* in *Eccleſiaſten*, & in *Epiſtolam* ad *Epheſios* conſcripſiſſet, *ſemper contraiſſe*: quæ perſpicue Dallæum retundunt; ac docent, non totos Hieronymi Commentarios, neque omnes eorum paginas Origenis, ejuſque fautorum explanationibus impletas fuiſſe, ſed in aliquibus ipſorum locis quaſdam morales eorum auctorum ex-

po-

Digitized by Google

poſitiones videri, in aliis errantium dogmatum, quæ Origenes in Periarchon libris poſuit, correctiones cerni, & contradictiones. Exinde S. Doctor in Præfatione Commentariorum in Oſeæ dixit, quod *Apollinarem* (a) Laudicenum: *Origenem*, & *Didymum* ... *non in omnibus ſum ſecutus*, *ut judex potius* operis eorum *quam interpres exiſterem*, *diceremque quid mihi videretur in ſingulis*, *& quid* ab Hebræorum *magiſtris vix uno*, *& altero acceperim*. Itaque Dallæus in errore verſatur, cum ait, quod Hieronymus Origenis, aliorumque explicationes non temperatas lectoribus imprudentibus offert, ut in commentariis in Prophetas varias, etiam Judæorum, congerit explanationes, noſque haud monet, cujus illæ ſint. Sed imprudentiſſimi hominis, qui otio, & litteris intemperanter abutitur, illæ ſunt voces; quas ſcidit ipſe Hieronymus, cum monens in *Commentariis* ſuis *hæreticas* Origenis, ejuſque diſcipulorum aſſertiones, cum *Judex exiſtens* interpretationum Oſeæ, ac reliquorum prophetarum, quas vel *Origenes*, *Apollinaris*, ac *Didymus* effecerant, vel a nonnullis *Hebræis* ipſe S. Doctor acceperat; qui proinde eas illorum, & iſtorum expoſitiones eſſe adnotavit; ipſaſque ſuo juſto judicio temperatas lectoribus ſcientibus obtulit, cum uti *Judex dixerit*, *quid ſibi videretur in ſingulis*. Singulæ igitur ſacrarum litterarum explanationes, præſertim *Catholicæ*, quas Hieronymus ſibi, aliiſque Patribus tribuit, a nonnullis Origenis aliorumque vel Hebræorum expoſitionibus diſtinguuntur, monente Hieronymo, & confuſionem auferente, qui etiam de uno S. Hilario Pictavorum Epiſcopo ſcribit, quod is in aliquibus commentariis in Pſalmos „ (b) imitatus Origenem, nonnulla „ etiam de ſuo addidit, eſt ejus & „ ad Conſtantium libellus.., & liber „ Hymnorum, & myſteriorum alius, „ & Commentarii in Matthæum & „ tractatus in Job. quos de Græco „ Origenis ad ſenſum tranſtulit, & „ alius elegans libellus contra Auxen„ tium, & nonnullæ ad diverſos Epi„ ſtolæ. Ajunt quidam ſcripſiſſe eum „ & in Cantica Canticorum; ſed a „ nobis hoc opus ignoratur. „Contra Dallæum igitur critici Patres adnotarunt, cujus eſſent aliqui commentarii in Pſalmos, & tractatus in Job: quippe quos Origenis eſſe, & a S. Hilario, qui *nonnulla* prioribus addidit, latine *ad ſenſum translatos*, obſervet Hieronymus, qui illis *Commentariis*, & *Tractatibus* hanc *tranſlationem* affigit; atque adeo ab iſta & *Hilarii libros*, & *ejus Commentarios* in *Matthæum* haud obſcure fecernit, omnemque tollit confuſionem. Cumque eam translationem non reprobet, ut alias latinam Ruffini verſionem, qua is Origenis libros de principiis perperam tranſtulerat, reprehendit: planum eſt, ab Hilario commentarios illos, ac tractatus recte ad ſenſum translatos fuiſſe: quos ſolos eodem modo explanaſſe S. Ambroſius putandus eſt; utpote quem ipſi Hilario Hieronymus conjungat ob eaſque interpretationes utrumque culpandum non eſſe, ita Ruffino ſignifi-

(a) *S. Hyer. præfat. in oſee. Tom. v.*
(b) *S. Hier. in catal. vir. ill. cap c. pag. 919. T. 2.*

gnificet: „ (*a*) nemo tibi objicit „ quare Origenem interpretatus es, „ alioqui Hilarius, & Ambroſius hoc „ crimine tenebuntur; ſed quia in„ terpretatus Hæretica, Præfationis „ tuæ laude firmaſti. „ Quod bene cadit, quemadmodum volumus; cum denotet, verum illud impreſſum in Patrum animo atque mente liquido percipi; ſcilicet, *Hæretica* a Patribus non raro animadverſa, & *Catholica* oſtenſa, neque adeo ſilentio prætèrita eſſe.

Quocirca prætereo quæſtiones, in quibus S. Hieronymus, & S. Auguſtinus verſati fuere; quorum alter probabiliter cenſuit, S. Petrum a Paulo quidem reprehenſum, ſed revera non reprehenſibilem exiſtimatum fuiſſe; cujus tamen contrarium alter probabilius putavit. Verum alii Patres docent Petrum, & Paulum ſimplici æconomia uſos eſſe, ut & Hebræi, & Gentiles ad Chriſtum adducti ſervarentur. Denique Clemens Alexandrinus, & Euſebius ſcribunt, illum, qui a Paulo reprehenſus eſt, non Petrum Apoſtolum, ſed unum e ſeptuaginta Domini diſcipulis, quem Cepham aliqui vocabant, extitiſſe, quæ omnia veriſſimilium enarrationum monumenta in veterum ſcriptis & præcipue in Commentariis extant, ac patent; in quibus *opinionem*, ac *moralem expoſitionem* a *dogmate* ſecernendas eſſe, Hieronymus docuit, ob idque in genere non illam Commentariorum rationem, quam Dallæus comminiſcitur, ſed hanc habuit, ut ea in Commentariis diſtinguantur; qua diſtinctione & Patrum opiniones, quas de illa reprehenſione, vel de aliis rebus habuere, noſcuntur; & *dogmata Catholica* conſtant, quæ ex Eccleſiæ Doctrina, exque ſuis certis, & communioribus *ſententiis*, quas ad *Hæretica* convellenda Hieronymus adduxit, cuique fideli *aperte* tradiderunt.

Hoc quoque ipſe S. Doctor ſignificavit, adhortans ad polemicos veterum libros legendos. Cum enim aliqui quererentur, quod idem Hieronymus reſponſis ſuis Jovinianum vicerit potius, quam docuerit: illis S. Doctor reſpondit; aliud eſſe *dogmaticum* docendi genus, aliud genus reſpondendi adverſario: cui nunc hæc, nunc illa argumenta proponuntur, ut libet: „ (*b*) in ſequenti „ autem aperta frons, & ingenuitas „ neceſſaria eſt. Aliud eſt quærere; „ aliud definire: in altero pugnan„ dum; in altero docendum eſt ... „ Origenes, Methodius, Euſebius .. „ problematibus... interdum coguntur „ loqui; non quidquid ſentiunt, ſed „ quod neceſſe eſt dicunt adverſus ea, „ quæ dicunt Gentiles „: quibus verbis a Dellæo allatis hæc alia quæ ab ipſo cenſore omittuntur, Hieronymus paulo poſt addidit: „ (*c*) Tur„ bæ parabolas Diſcipuli audiunt ve„ ritatem, proponit Phariſæis Do„ minus quæſtiones, & non ediſſe„ rit, aliud eſt docere diſcipulum, „; aliud adverſarium vincere. *Myſte„ rium* inquit, *meum mihi*; *My„ ſterium* (*d*) *meum mihi*, & *meis*.

Ergo juſtum Dallæus nequaquam perſpexit! perſpexit quidem: ſed ne convictus, & vi veritatis coactus videretur: idem connexum S. Doctoris argumentum reliquit: quo ipſius cen-

(a) *S. Hier. lib. 2. cont. Rufinum n. 14. pag.* 504. *Tom.* 2.

[b] *S. Hier. Epiſt.* 48. *ad Pamm. pag.* 220. *Tom.* 1.

(c) *S. Hier. ibid. pag.* 221.

(d) *Iſaiæ* 24. 16.

cenſoris argutatio refellitur, qua ex Hieronymo falſiſſime objicit, mirandum non eſſe, ſi Patres, dum adverſus vel Gentiles, vel Judæos, vel Hæreticos diſputant, his quaſi coloribus varientur, ut quicquid ad cauſam facit, quamvis infirmum, adhibeant; quidquid vero ſuſceptæ cauſæ repugnat, confutent, licet alias verum, & admittendum: quæ argumentatio non veritatis, ſed falſitatis notam habet, docente Hieronymo: ex cujus contextu evidenter apparet, quod Dominus, cum Hebræorum *turbis parabolas* propoſuerit, & Judæorum dicta ſuæ Divinæ miſſioni adverſantia oppugnarit: non illas quidem veluti infirmas adhibuit, nec refutavit iſtas ut alias vera, & admittenda: hoc enim impie diceretur & falſo: ſed parabolis uſus eſt, & falſa Judæorum reſponſa abſtulit, ut eos ad *veritatem*, quam ipſius *Diſcipuli audiebant*, dirigerent. Sic igitur Patres vel ſimilitudinibus non infirmis, vel argumentis non levibus Gentilium, Judæorum, & Hæreticorum dicta non vera, ſed falſa, & nullo modo recipienda, oppugnarunt, ut ii in Catholicam fidem ſe traderent. Verum Dallæus ore ſuffuſo, ac ſermone fallit, atque a propoſito aberrat, neque enim illa, quæ cenſor effutit, ſed hæc Hieronymus protulit: *turpe tibi eſt, hoſtem dolis ferire, non viribus*. Si quis ergo veterum adverſariis infidelibus, vel Heterodoxis *reſpondens*, *argumentatur quærendo*, ut *libet*; & *aliud loquitur*, *panem*, ut dicitur, *oſtendendo*; & aliud agit *lapidem tenendo*: ille non infirmis argumentis, ſed *viribus*; neque *dolis*, quibus vera quaſi falſa refutantur, eos *hoſtes ferit*. Non igitur veteres ab Hieronymo commendati eos dolos conſuunt, dum adverſus Gentiles *non quod ſentiunt*; ſed quod *neceſſe eſt*, dicunt: alioqui Prophetæ qui prophanis quædam ſacra *Myſteria* occultarunt, dolum commoliti fuiſſent; id quod impium eſt dictu. Ergo illi ipſi antiqui ſcriptores ſine ullo dolo quædam neceſſaria, non omnia fidei Myſteria, *adverſus* ea, quæ *Gentiles* dicebant, protulerunt; quæ tamen univerſa *meis*, ſive Fidelibus, quos a Gentilibus, atque ab Hæreticis Hieronymus diſtinguit, Patres patefecere *docendo*. Quare Baſilius a dogmaticis diſſertationibus diſputationes propterea diſtinguit, quia diſputare eſt quærendo argumentari; dogmatice vero diſſerere eſt aſſertione aliquid probare, atque docere. Hinc S. Gregorius Neocæſarienſis civitatis Epiſcopus, ut hujuſce urbis Ethnicos ad Fidei Chriſtianæ veritatem adduceret, quædam neceſſaria primitus diſputando protulit: ſed æconomia uſus, non omnia Fidei dogmata, quæ a Fidelibus aſſerebantur; manifeſtavit; quæ tamen univerſa *dogmata Eccleſiæ aſſervans*, & ſuos *alumnos docens*, nullum de illis ſilentium fecit, Baſilio tradente.

Ex omnibus iis Patrum auctoritatibus notum eſſe debet hoc inſigne veri; quo oppreſſo, quod tandem verum adverſarius ſibi videbitur attingere?

Quid autem tam falſe dici poteſt, quam cum ita loquitur: eſt hoc illius ſilentii ſignum Euchariſtia; de cujus dogmate, aut eſſentia veteres ſiluerunt? at ſi cenſor ea, quæ dicta ſunt, inſpicere velit, facile, etiam tacentibus nobis, veritas ſe ipſa defendet, cujus paulo ante jacta ſunt fundamenta. Nam S. Juſtinus Apoſtolis proximus adverſus Gentilium criminationes Catholici dogmatis vim quæ eſt in Euchariſtiæ Sacramento, pu-

publice explicavit, dum etiam ipſis Gentilibus dixit quod *quemadmodum Jeſus Carnem & Sanguinem habuit: ſic Euchariſtiæ alimoniam incarnati illius Jeſus &*, Carnem, *& Sanguinem eſſe* edocti *ſumus*. Falſum igitur eſt, illud dogma in ſilentio jacuiſſe; quoniam ipſum Juſtinus aperuit, & publicum fecit: His optimis ſtudiis conſulentes Nicæni I. Concilii Patres, & in Euchariſtia dari *Chriſti Corpus* teſtati: certe eadem de re, quæ plurimis ipſorum Eccleſiis nota erant, neutiquam tacuerunt de qua re neque Siricius Romanus Pontifex ſiluit; qui cum de novæ legis Sacrificio (a) ageret: palam dixit, quod a *Sacerdotibus Corpus Chriſti conficitur*,

At Innocentium I. Pontificem ſummum de Euchariſtiæ Myſterio ſiluiſſe, aliqui objiciunt: Quæ objectio ex eo refellitur, quia non de Euchariſtiæ dogmate, ſed ritibus ille locutus eſt in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum; cui hæc ſcripſit: „ (b) Si inſtituta Eccleſiaſtica „ ut ſunt a beatis Apoſtolis tradita, „ integra vellent ſervare Domini ſacerdotes; nulla diverſitas, nulla „ varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur, ſed dum „ unuſquiſque non quod traditum eſt, „ ſed quod ſibi viſum fuerint, hoc „ æſtimat eſſe tenendum, inde di„ verſa in diverſis locis, vel Eccle„ ſiis aut teneri, aut celebrari viden„ tur; ac fit ſcandalum populis, qui „ dum neſciunt traditiones antiquas „ humana præſumtione corruptas; pu„ tent, ſibi aut Eccleſias non con„ venire, aut ab Apoſtolis, vel Apo„ ſtolicis viris contrarietatem indu„ ctam. Quis enim neſciat, aut non „ advertat, id, quod a Principe Apo„ ſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ „ traditum eſt, ac nunc uſque cuſto„ ditur, debere ſervari, nec ſuper„ duci, aut introduci aliquid, quod „ auctoritatem non habeat... ſæpe „ Dilectionem tuam ad urbem ve„ niſſe, ac nobiſcum in Eccleſia con„ veniſſe non dubium eſt, & quem „ morem vel in conſecrandis My„ ſteriis, & in cæteris agendis arca„ nis teneas, cognoviſſe. Quod ſuf„ ficere ad informationem Eccleſiæ „ tuæ, vel reformationem, ſi præ„ ceſſores tui minus aliquid, aut „ aliter tenuerunt ſatis certum ha„ beremus, niſi de aliquibus conſu„ lendos, nos eſſe duxiſſes... pacem „ igitur aſſeris ante confecta Myſte„ ria quoſdam populis imperare, vel „ ſibi inter ſe Sacerdotes tradere, „ cum poſt omnia, quæ aperire non „ debeo, pax ſit neceſſario indicen„ da, per quam conſtet, populum „ ad omnia, quæ in Myſteriis agun„ tur, atque in Eccleſia celebrantur, „ præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe „ pacis concludentis ſignaculo de„ monſtrantur. De nominibus vero „ recitandis, antequam precem ſa„ cerdos faciat, atque eorum obla„ tiones, quorum nomina recitanda „ ſunt, ſua oratione commendet, „ quam ſuperfluum ſit, & ipſe pro tua „ prudentia recognoſcis; ut cujus „ hoſtiam necdum Deo offeras, ejus „ ante nomen inſinues, quamvis illi „ incognitum ſit nihil. „

Quocirca de nonnullis ſacrificii Euchariſtici ritibus, quorum aliqua diverſitas non in Eccleſia Romana,

 ſed

(a) *Siric. in Epiſt. ad Anys. Theſſal. alioſque Illyr. Epiſc. pag. 689. Tom. I. Epiſt. R. P. Con*

[b] *Innoc. 1. Ep. ad Dec. pag. ib. pag. 855.*

ſed in quibuſdam aliis *Eccleſiis* erat, Innocentius tractavit, nullam ut *varietatem* iſtæ Eccleſiæ in illo Sacrificio haberent, cujus tamen vim paucis Innocentius explicavit, ajens, in ipſo *Hoſtiam Deo offerri*, videlicet Chriſti *Corpus*, quod in eodem Sacrificio *confici* Siricius ejus præceſſor denuntiavit, ſignificans, illud dogma notum fuiſſe & Fidelibus, ad quos ſcribebat, & *Eccleſiæ Romanæ* cui præſidebat: cujuſque *morem in conſacrandis Myſteriis*, atqueadeo in *conſiſiciendo Chriſti Corpore*, patuiſſe, utpote a Decentio, & ab *Eccleſia*, in qua *celebrantur cognitum*, retulit Innocentius, qui proinde *arcana*, quæ *aperire non debebat*, tantum voluit eſſe *nomina* iiſdem in Myſteriis *recitanda*, quippe quæ Sacerdos tacita oratione commendaret, dum novæ legis ſacrificium, cujus dogmata nec Siricius, neque Innocentius reticent, conficiebat.

Quæ cum ita ſint: fruſtra Dallæus reponit, & Patres in homiliis ad populum, cui Cathecumeni miſcebantur, & præcipue S. Auguſtinum tractatu 16. in Joannem, ſiluiſſe de Euchariſtiæ Sacramento.

Hæc enim eo refelluntur, quod quidem Patres, ut Perronius, aliique advertunt, Euchariſtiæ dogma Cathecumenis non manifeſtarunt, ut iſtos ad fidei veritates paulatim adducerent: ſed baptizatos tamen, & plene credentes Euchariſticum *Corporis* & *Sanguinis Chriſti* Sacramentum Juſtinus, & Nicæni Patres docuerunt. Quare etſi Auguſtinus ipſis Cathecumenis Euchariſtiam non aperuit: certe in illo tractatu, ut contra (*a*) Dallæum jam diximus, aliqua ad eandem rem pertinentia protulit; & in adducta Pſalmi enarratione idem *Corporis*, & Sanguinis Domini ſacramentum tractavit, ediſſeruit, patefecit.

Quæ igitur Patres de Fidei dogmatibus, de Euchariſtia, deque reliquis Sacramentis, quorum memoriæ in legitimis ipſorum operibus conſervantur ſenſerunt, & crediderunt: ea omnia, ut Eccleſiæ alumnos docerent, non tacuerunt, ſed & exemplis illuſtrarunt & ſcriptis.

Denique Dallæus falſo dicit, quod Patres Euchariſtiæ materiam ſilentio prætericrunt, ac mentem ſuam non aperuerunt, ne illam Ethnici faſtidirent, quæ tamen Juſtinus refellit, cujus mens ipſis ethnicis conſtitit, quibus ipſe Euchariſtiæ materiam, conſecrationis formam, & ipſum *Corporis & Sanguinis* Chriſti Sacramentum ſine ullo timore propoſuit, quæ omnia licet Epiphanius prophanis, & cathecumenis celarit: attamen Auguſtinus, (*b*) Theodoretus, aliique veteres ex inſtituto Fidelibus patefecerunt.

De nonnullis intelligendorum veterum regulis.

PRimaria intelligendorum Patrum iſta regula eſt, potiſſimum res ab eis univerſim, ac ſpeciatim tractatas, inſtituta, argumenta, antecedentia, ſubſequentia, & alia connexa non primo quaſi adſpectu videre, ſed lectitare, & circumſpicere quo eorum ſcopus, dicta, & ſenſa optime percipiantur.

Hinc intelligimus ſcripta S. Epipha-

(*a*) *vide Diſſert.* IV.

(*b*) *Theod. Dial.* 2.

phanii, de quo S. Hieronymus (*a*) hoc dixit: „ Epiphanius Cypri ſa„ laminæ Epiſcopus ſcripſit adver„ ſum omnes hæreſes libros, & mul„ ta alia, quæ ab eruditis propter „ res, a ſimplicioribus propter ver„ ba lectitantur. „

Ad hæc idem Hieronymus adverſus Ruffinum, qui eundem Epiphanium Origenis cenſorem inique carpebat, ſic loquitur: „ (*b*) ego Phi„ loſophus, Rhetor, Grammaticus, „ Dialecticus, Hebræus, Græcus, „ Latinus, trilinguis. Hoc modo & „ tu bilinguis eris, qui tantam ha„ bes græci, latinique ſermonis ſcien„ tiam, ut & Græci te latinum, & „ latini te Græcum putent; & Papa „ Epiphanius πεντάγλωττος, quia quin„ que linguis contra te, & Amaſi„ um tuum loquitur, ſimulque ad„ miror, qua temeritate contra tan„ tarum artium virum audeas dice„ re: Tu, qui tot diſciplinarum „ oculis vigilas, quomodo venia „ donandus es, ſi erraveris & non „ perpetuo pudoris ſilentio conte„ gendus? Quod cum legiſſem, & „ me putarem alicubi in ſermone la„ pſum (qui enim in verbo (*c*) non „ peccat, iſte perfectus eſt); & ſu„ ſpicarer eum aliquid meorum pro„ laturum eſſe vitiorum; ſubito in„ tulit: ante biduum mihi; quam „ proficiſceretur harum bajulus, in „ manus venerunt, quæ in me de„ clamaſti. „ Ubi eſt ergo quod minaris ..? interim audacter frueris imperitia tua.

Hæc & ad illam regulam diriguntur, & Dallæo audaciam comprimunt. Nam Epiphanii opera antiquiores *Eruditi propter res* lectitarunt, quas res proinde, earumque cauſas illi Dallæo eruditiores contulerunt; & judicarunt eas omnes connexas eſſe, & Epiphanii mentem apertam, neque hunc ſecum pugnare, cum hæreſes & clarius exponat, & planius evertat.

Etenim Dallæus maxime erravit de S. Epiphanii verbis, & ſenſibus; quibus ille abuſus, & de eo uno Eccleſiæ Patre locutus: etiam linguarum ignorantiam, & obſcuritatem aliis Patribus, qui clari non ſint, ubi obſcuri eſſe nolunt, impudenter affinxit, dum vocavit eundem Epiphanium Grammaticæ, & Rhetoricæ admodum rudem.

Rudis ſit ipſe Dallæus qui adlatos S. Hieronymi admodum Critici, & doctiſſimi libros minime evolvit; in quibus is celebravit S. Epiphanium ut *Grammaticum*, ac *Rhetorem*, aliarumque *artium* quibus ipſe Hieronymus præditus erat, virum. Quæ autem tanta poteſt exiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam diſertum, & ad mirabile orationis genus quo quiſquam poſſit multas *hereſes*, earumque confutationes, non dicam percenſere numerando, ſed complecti oſtendendo? id ſane ab eloquentiæ ſtudio proficiſcitur; quod Epiphanius, utpote earum *artium vir*, dubio procul adhibuit; ideoque in ejus operibus rectam Syntaxin, periodorumque ſtructuram, unicam orationis lucem, ineſſe, antiqui *eruditi*, & ſimpliciores aſpexerunt; qui ſi qua re imperiti fuiſſent: non longius progreſſi eſſent, qui tamen Epiphanii ſcripta *propter res*, atque adeo earum ſeriem, ac *propter ver-*

(a) *S. Hier. in cat. vir. ill. c. 114. Tom. 2.*
(b) *S. Hier. lib. 2. cont. Ruff. num. 6. Tom. 2*

(c) *Jo: 3.*

verba, horumque adeo ſtructuram utique lectitarunt; ob quod Dallæus cum nonnullis ineruditis interpretibus nullam in Epiphanium contumeliam facit, quæ non in veterum *eruditorum*, & *ſimpliciorum* orthodoxorum maximam partem conveniat: quaſi & illi *rerum* cauſas, propter quas Epiphanii libros ſæpe legebant, non caperent: & iſti ſtructuram *verborum*, propter quæ illos lectitabant, nequaquam perciperent. Cave intemperantiam Dallæi, cujus & *tellus* non omnia ferebat, & *materia* non omnis formæ capax erat; ſed vitiis cumulabatur, a quibus & S. Epiphanii ingenium & opera abſuere; quorum multi loci obſcuritatem non offerunt; in quibus videlicet *rerum* deſcriptiones, ac *verborum*, periodorumque compoſitiones rectæ ſunt atque planæ, & dilucidæ; utpote quas non modo *eruditis* verum etiam *ſimplicioribus*, ut ſæpe ex Hieronymo retuli, Epiphanius magna arte tradiderit, ac declararit. Tum Dallæus ſatis lepide crimen texit, atque in plures eruditiſſimos Patres actu exemplum capit ex allata S. Hieronymi Epiſtola ad Magnum; ubi quidem ille S. Doctor unum excipit Victorinum. Cujus libris *eruditio*, (*a*) non ei erudionis *voluntas deerat:* ſed tamen ibi uti diximus, ait; *quid Tertulliano eruditius?* ſimulque commendat eruditum S. Irenæum, qui *ſingularum hæreſum origines* e *Philoſophorum fontibus* hauſtas *explicuit:* atque etiam addit, quod & S. Cyprianus Idolorum vanitatem *hiſtoriarum omnium ſcientia*, ac *verborum ſplendore perſtringat;* & in *Julio* Africano, in *Tito* Boſtrenſi, in S. *Baſilio*, ac *Gregorio eruditio ſæculi*, ac *Scripturarum ſcientia admirentur*: & *S. Hilarius Quintiliani* libros & numero imitatus & ſtylo, *quid in litteris poſſit*, *oſtendat*: & *cæteri* laudentur, *quorum in ſcriptis & vires manifeſtæ ſunt*, *& voluntas*. Ergo mentitur Dallæus, dum ait, *alios* Patres elegantia, eruditione, & ingenio caruiſſe: quod impudens cenſoris erratum ab ipſo Hieronymo everſum eſt; qui de Victorino non lepide, ſed bene locutus, illam exceptionem *eruditionis*, quæ in ejus libris non perſpiciebatur, addidit; ſine qua tamen S. Doctor alios veteres ita laudavit, ut iis, qui elegantiæ, *ſæculi* eruditioni, & *Sacris Scripturis* ſtuduerunt, felix ſucceſſus nequaquam defuerit, quippe qui *verborum ſplendore* clari, omnis formæ, ſive eruditionis capaces, & *Hiſtoriarum omnium*, ac *S. Scripturæ ſcientia*, atque adeo optimo ingenio ornati fuerunt. Unde *Hæreſum origines*, res fidei iſtis oppoſitas, & Sacras litteras explicarunt; quorum unus Hilarius quamvis ſerius Quintilianum imitatus ſit: certe quid *litteris* contra hæreſes poſſet, oſtendit, itaque ex una Victorini exceptione Dallæus ſua errantia dicta, quibus alios Patres iniquius carperet, falſiſſime cepit.

Præterea Ruffinum, cujus *imperitiam* non in latina elocutione, neque in pluribus, quæ ſcriptitaverat, ſed in latina librorum Periarcon Origenis verſione, eorumque defenſione, ut ſæpe diximus, Hieronymus expreſſe reprehendit. Cæterum dilucidam Symboli expoſitionem quam idem Ruffinus habuit, (*b*) ac fecit, Gen-

(*a*) *S. Hier. cit. Ep. ad Mag. Tom. 1. pag* 426.

(*b*) *Genn. de vir. ill. cap.* 17.

Gennadius quem alibi adlegavimus, contra Dallæi opinationes merito admiratur, & laudat.

Sileo de nonnullis græcis ſcriptoribus, quos quidem Dallæus adduxit ex Photio: ſed neque illos ſingulatim nominavit, neque hujus locum, vel codicem eo retulit; quia nihil concludere potuit, etenim Photius nulla dicendi, & ſcribendi vitia, quæ in germanis SS. Juſtini, Irenæi, Athanaſii, Epiphanii; utriuſque Gregorii, Joannis Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini operibus viderentur, oppoſuit: quin etiam clariſſimis, atque optimis S. Athanaſii ſcriptis commendatis, aſſeruit, hunc uſum non fuiſſe quibuſdam vocibus *ex arte* (*a*) *petitis*, *quod pueri*, *recentioreſque diſcipuli* facere *ſolent*, non igitur illi antiquiores Græci Eccleſiæ Magiſtri, atque ſcriptores, *ſed* pueri, *acrecentiores diſcipuli* vocabulis abutebantur, & quamvis Theodoretus, uti prædiximus, nonnullas translationes pene coactas interdum adhibuerit: nihilominus vocibus haud abuſus, plerumque ſuis in ſcriptis *clarus*, & *grandis* eſt, eodem Photio monente.

Mitto, quod Dallæus in Clementem Alexandrinum inaniter commoveatur; cujus veteris libris, & rebus, quas ex profeſſo tractat, comprehenſis, niſa, ac progreſſa ratio hoc efficiet, nihil *in illis indoctum* eſſe; id quod S. Hieronymus (*b*) antea laudatus advertit, atque prædocuit. Nullæ igitur in omnibus Clementis operibus ſunt indoctæ, & obſcuræ alluſiones ad hiſtorias, apophtegmata, & adagia litterarum prophanarum, atque ad ſacræ Scripturæ ſententias. Quandoquidem de ipſius ſtromatibus, ac reliquis libris Hieronymus ait, *quid in illis indoctum!* quod certe S. Doctor affirmare non potuit, ſi totum id non indoctum, quod in cunctis illius libris legit, non diſcernebatur, neve dilucidum erat. Dallæi igitur figmentum eſt, Clementem alicubi deliteſcere: cujus quippe pleraque omnia indocta non eſſe ac non adeo latere, Hieronymus intellexit. Quomodo autem moveri ad capienda etiam clara quorumque eruditorum Scriptorum ſenſa animus poteſt, ſi humaniores, aliaſque diſciplinas minime coluit? Quod igitur ſine humanis litteris *eruditiſſimi* Clementis opera intelligere nemo poſſit, ac ſperet; id neutiquam probat, aut minimum innuit, illa volumina involvi obſcuritate: quoniam abſque litteris, ac diſciplinis ne ullus quidem eruditorum liber, quantumvis perſpicuus, legi poteſt, & percipi; percipiuntur autem a quolibet erudito Clementis ſenſa de rebus Chriſtianæ Theologiæ, in quam neque ipſe, neque alius Orthodoxus ſcriptor falſas, ac peregrinas prophanorum Philoſophorum voces, falſaſque falſorum numinum inſtitutiones invexit, ſed aliena illorum Ethnicorum verba, alienaque inſtituta fabulis mixta, ut antea contra Joannem Clericum Dallæi (*c*) ſectatorem diximus, aperte refellit; qua in re, & in aliis Clemens plana argumenta propoſuit.

Non loquar iterum de Tertulliano; qui non aſpero, neve duro, ſed acuto, & acri ingenio, quod adverſus idola & hæreſes acuebat, ita floruit, ut de eo S. Hieronymus dixerit,

(a) *Phot. cod.* 32. *cit.*
(b) *S. Hier. in cit. Epiſt. ad Magn.*
(c) *lege Diſſert.* 2. §. *ult.*

rit, quod „ (*a*) multa ſcripſit volu-„ mina, quæ quia nota ſunt pluri„ bus, prætermittimus: vidi ego „ quendam Paulum Concordiæ, quod „ oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui „ ſe beati Cypriani, jam grandis „ ætatis, notarium, cum ipſe admo-„ dum eſſet adoleſcens. Romæ vidiſ-„ ſe diceret, referreque ſibi ſolitum, „ nunquam Cyprianum abſque Ter-„ tulliani lectione unum diem præ-„ termiſiſſe, ac ſibi crebro dicere, „ *da magiſtrum*; Tertullianum vide-„ licet ſignificans: „

Cum, ergo Tertulliani opera *nota* fuerint *pluribus*: ei certe & ipſa uti propria ipſius *volumina*, & adeo proprium ejus ſtylum, quo diſtinguebatur ab aliis, & quaſdam novas voces, & nonnulla translata, & aliqua ſubtilia argumenta *noverunt*. Non igitur Tertullianus ſtylo Carthaginenſi, quibuſdam novis vocabulis, quibuſdam translatis, & ſubtilitatibus ſplendorem ſuum, ut Dallæus comminiſcitur, obſcuravit; neque, ut nonnemo nimis vult, lectores ad nutum attentiſſime ſagaces popoſcit: quia & illa ſcripta Tertulliani eſſe *plures noverunt*, & Hieronymus ex ipſis aliqua geſta, aliqua argumenta, & quædam translata, quæ nos in ſuperioribus locis vidimus, facile attulit; ſimulque monſtravit, aliquot Tertulliani argumentationes, quas, dum orthodoxus eſſet, adverſus ethnicos, & Hæreticos fecit, planas eſſe, alias quidem ſubtiles, ac quibuſdam novis vocibus, & translatis immixtas, ſed ex connexis rebus, ac doctrinis, quæ eruditis patent, intelligi quas ſi Cyprianus, qui ſtylum Carthaginenſem ſibi, Tertulliano, ac reliquis Africanis communem adhibuit, & clare locutus eſt, tenebris involtas, iiſque Tertulliani lucem obſcuratam vidiſſet: ſane aliquot Orthodoxos ipſius libros nec lectitaſſet, nec hujuſmodi adhibuiſſet magiſtrum. *Magiſtrum* autem eum habuit, ac voluit. Non ergo Tertulliani volumina, non ſtylus, non rerum argumenta, non denique plura iſtorum antecedentia, & conſequentia ipſi Cypriano, ac *pluribus* aliis obſcura fuere, Hieronymo ſignificante.

Is etiam ad Paulinum de S. Hilario Pictavorum Epiſcopo hæc ſcripſit; „ (*b*) Hilarius Gallicano co-„ thurno attollitur, & cum Græciæ „ floribus adornetur, longis interdum „ periodis involvitur, & a lectio-„ ne ſimpliciorum Fratrum procul „ eſt. „ Rurſus in Epiſtola ad Magnum, quam ſæpe attulimus, ait, „ (*c*) Hilarius, in libello, quem „ ſcripſit adverſus Dioſcorum, „ quid in litteris poſſit, oſten-„ dit. „ Tandem Lætam hortatur, ut „ (*d*) Athanaſii Epiſtolas, & Hi-„ larii libros inoffenſos decurrat pe-„ de. „

Hæc Dallæi animo non occurrerunt, qui ſi quid de Hilario dicturus erat, neceſſe fuit, id ei verum, quod occurrit, aliquando videri, quandoquidem Hilarius in libello adverſus Dioſcorum ſicut in aliis libris, interdum uſus Gallicano cothurno, ac longis periodis: tamen docte, & clare locutus eſt, quia *in litteris quid poſſit oſtendit*: quam ob demonſtratio-

(*a*) *S. Hier in lib. de vir. ill. cap* 13. *Tom.* 2. *pag.* 851.
(*b*) *S. Hier. Ep.* 58. *pag.* 320.
(*c*) *S. Hier. Epiſt. cit.*
(*d*) *S. Hier. Epiſt.* 107. *pag.* 681. *T.* 2.

tionem, & claritudinem ipſius *libri inoffenſo pede*, atque adeo faciliter *decurri* poſſunt, qui proinde non obſcuritate, ſed quadam *longa periodo interdum involuti* videntur iis *ſimplicioribus* qui eruditionis litteras, græcam eloquentiam, & latinam, rerumque connexa, quæ in Hilarii, aliorumque veterum ſcriptis elucent, perfunctorie didicerunt.

Atque ad eloquentes Patres defendendos hanc alteram regulam habemus, qua videlicet ipſi veteres judicarunt, res fidei Catholicæ ſimplices eloquentia tueri; & ita vel earum copioſam orationem, nimirum verborum ac ſententiarum luminibus frequentatam, ſimulque ipſarum rationes inſtituere; vel breviter illarum ſummam exponere.

Priori modo non confuſum Aſiaticorum dicendi genus, ſed diſtinctam, puram, & gravem Atheni eſium eloquentiam conſecuti ſunt multi. Cum enim, Tullio teſte, nonnulli arbitrarentur, aliquid dici poſſe „ (*a*) argutius tum fere Pericles primus „ adhibuit doctrinam, quæ quanquam tum nulla erat dicendi, tamen „ ab Anaxagora phyſico eruditus, „ exercitationem mentis a reconditis, abſtruſiſque rebus ad cauſas forenſes, popularesſque facile traduxerat, hujus ſuavitate maxime hilaratæ ſunt Athenæ, hujus ubertatem, & copiam admiratæ, eandem vim dicendi, terroremque timuerunt. Hæc igitur ætas prima „ Athenis Oratorem prope perfectum „ tulit. „

Non igitur prima oratorum ætate Athenienſes ſe ad eorum, qui *argutius* dicebant, morem finxere, ſed Periclis phyſici documenta, ubertatem, & copiam admirati, ejus dicendi vim timuerunt; qua ille doctrinam, ac non adeo argutias, quæ a Dallæo finguntur, primus adhibuit, cum eaque eloquentiæ copiam junxit; ut & abſtruſas res phyſicas enuclearet, & circumſcriberet elocutione, & hanc mentis exercitationem ad cauſas forenſes traduceret.

Hinc quidem vetuſtiſſimi Patres, Juſtinus, Irenæus, aliique ſacras ſcripturas alicubi breviter explicarunt; ſed de maximis ipſarum ac dogmatum quæſtionibus ſimpliciter, & copioſe ſcripſerunt: quo pacto neceſſarium fuit, eas fidei res diſponere, illuſtrare, illarumque dilatare argumenta contra ethnicos, contra Judæos, contraque Hæræticos.

Itaque adverſus hos illi veteris, ac novi Teſtamenti, Apoſtolicæque Eccleſiæ doctrinam adhibuere; quæ ſine fuco & cauſas, earumque ſummam exponebat, & ſimplici, aperta, abſolutaque oratione exornabatur; quam Origenes in ſuis errantibus Periarchon libris ſolum mutaverat ſicuti Proclo S. Methodius (*b*) narravit his verbis: „ Hoc igitur loco qui ex Fidelibus ſimpliciores ſunt, maxime „ freti, impios negant reſurrectionis „ compotes futuros ... Hæc ſunt, „ ut in compendium redigam, quæ „ contra reſurrectionem Origenes magno ſtudio diſſeruit, in eoque argumento ſummam tractandi varietatem adhibuit. Tu vero quæ deinceps ſequantur, diligenter conſidera. Hoc enim reſtat, ut allatæ „ e ſacris litteris auctoritates, ad ea, „ quæ

(a) *Cic. de clar. Orat.* 11.
(b) *S. Meth ap S. Epiph. Panar hæreſ.* 44. *pag.* 544.

„ quæ dicta ſunt, adiungantur, ut
„ tanquam ſtatua quædam, ſic ora-
„ tio noſtra ſuis omnibus, propor-
„ tione ſervata, partibus conſtans,
„ abſoluta ſit, penituſque perfecta:
„ neque quicquam in illa ad figu-
„ ram, pulchritudinemque deſidere-
„ tur .... ſophiſticis illorum ratio-
„ nibus reſiſtendum nobis eſt, neque
„ illorum rationes, quæ ignavos im-
„ petunt, ullo modo metuendæ: ni-
„ hil enim in his ſanum eſt, atque
„ firmum; ſed verborum dumtaxat
„ ornatus ad pompam, & ad audien-
„ tium admirationem inſtructus, ac
„ perſuadendi quoddam lenocinium,
„ non veritatis, neque utilitatis ul-
„ lius, ſed oſtentationis cauſa com-
„ paratum; ut callidos, ac ſolerter
„ excogitatos ſermones auditoribus
„ exhibeant, atque hinc nonnun-
„ quam accidit, ut quæ ex veriſi-
„ milibus deductæ ſunt orationes, &
„ ad ſpeciem, ac voluntatem orna-
„ tæ, aliis præſtantiores videantur,
„ quæ ad acuratiſſimam veritatis
„ notitiam exactæ ſunt. Ex quo fit,
„ ut & Doctores non tam ei, quod
„ optimum ſit, gravitatiſque plenum
„ ſtudeant; ſed id dumtaxat, quod
„ placet, quodque ſecundo favore
„ fertur, reſpiciant, uti ſophiſtæ fa-
„ cere conſueverant, qui Orationum
„ ſuarum mercedem accipientes, do-
„ ctrinæ, & eruditionis ſuæ laudi-
„ bus, tanquam vili quodam pretio
„ redimuntur, ac priſcis quidem tem-
„ poribus ſumma erat in explican-
„ do brevitas; cum in id illi potiſ-
„ ſimum incumberent, non ut ob-
„ lectarent, ſed ut prodeſſent audi-
„ toribus. Poſteaquam vero expla-
„ nandarum ſcripturarum nullo cuique
„ negotio facultas eſt conceſſa, uni-
„ verſique faſtu, ac ſui opinione in-
„ flati, ad id, quod rectum eſt, ob-
„ tuſi, atque hebetes facti ſunt; ma-
„ gnos vero in ratiocinandi ſubtili-
„ tate progreſſus fecerunt, ac ſu-
„ cum in diceodo confectati ſunt,
„ perinde ac rerum omnium ſcien-
„ tia præditi: cum & doceri ſe opus
„ habere, confiteri erubeſcerent, &
„ contentioſe jurgari, ac proſilire
„ Præceptorum inſtar mallent: tum
„ demum accidit, ut temeritate qua-
„ dam elati, ab religioſa, manſue-
„ taque animi affectione, ac credu-
„ litate deſciſcerent. „

Hæc conſequentia antecedentibus apte reſpondentia declarant, illos, de quibus Methodius loquitur Origenis errorum ſectatores, falſoſque Doctores fuiſſe; quippe qui, *faſtu*, temeritate, errantique opinione ſua *inflati*; explanandarum ſcripturarum facultate abuſi, univerſique ratiocinandi ſubtilitate ſucum facientes, *Præceptorum inſtar proſilire mallent:* ac *non* ei quod *rectum* erat, ſtuderent; ſed a *credulitate deſciſcerent*. En claras Methodii conſecutiones cum cauſis præcedentibus, nexas. Quare Dallæus falſo ait, quod ſcribendi, ſcripturaſque explicandi ratio, quæ ab initio apud Chriſtianos ſimplex, & aperta erat, ab orthodoxis Patribus brevi immutata ſit, ac ſubtilitatis, humanorumque ornamentorum ſordes contraxerit, teſte Methodio; qui tamen Dallæum retundit, diſſerens contra Origeniſtas, & Proclo, qui orthodoxa doctrina ornatus erat, hæc dicens: „ reſtat, ut allatæ e ſa-
„ cris litteris auctoritates adjungan-
„ tur, & oratio noſtra proportione
„ ſervata, ſuis omnibus partibus con-
„ ſtet, neque quidquam in illa ad
„ figuram deſideretur. „ Non igitur Proclus non Methodius non ullus ſcriptor Orthodoxus ſimplicem, & apertam probandorum dogmatum, & *ſa-*

cra-

Digitized by Google

crarum auctoritatum explicandarum rationem, quæ ab antiquioribus Chriſtianis habita fuerat, mutavere; neque eorum oratio ſubtilitatis, & vilium ornamentorum ſordes contraxit: quippe quæ *proportionem figuris ſervabat*, atque, ut antea fuit, *perfecta* erat & *abſoluta*, atque adeo ſimplex & plana, eodem Methodio aſſerente, quem proinde Daineus ſuæ falſitatis teſtem & falſo produxit & illius dicta *diligenter* non conſideravit, quibus idem Methodius teſtatus eſt, Origeniſtarum *rationes metuendas non eſſe*, in quibus *nihil ſanum eſt*, atque *firmum*, ſed *verborum dumtaxat ornatus ad pompam inſtructus*, quo tanquam *vili pretio redimuntur*; ut qui *callidi ratiocinandi ſubtilitate*, ac *faſtu fucum faciant*. Hunc ergo faſtum, hanc verborum dumtaxat pompam, hunc vilem humanum ornatum nihil ſani, ac firmi habentem, hanc denique ratiocinandi ſubtilitatem, qua fucus fit, Methodius reprehendit: qui proinde illam aliam *Orationem* Divinis auctoritatibus, rectis rationibus, *figuris*, & omnibus partibus conſtantem adhibuit, & ſimul aliqua in *compendium redegit* ut ſignificaret, priſcis temporibus ſacras ſcripturas, & dogmata partim breviter, partim copioſe expoſita eſſe atque defenſa.

Hinc S. Gregorius Nazianzenus ex profeſſo S. Athanaſii Alexandrini Epiſcopi doctrinam, & eloquentiam celebravit, (*a*) primum aſſerens eos Orthodoxos, qui *per ſermonem, ac doctrinam in conſpectum venerunt; vel per miracula nobilitati ſunt, vel per Sanguinem conſumati: Ex his Athanaſius alios exequavit, ab aliis paululum abfuit; ſic videlicet ſe comparans, ut & dilectos actione & rerum gerendarum facultate præditos eruditione, atque eloquentia vinceret .... Deo vero, cujus cauſa hunc quoque ſermonem inſtituimus, acceptum referendum erit, ſi quidpiam dixerimus, quod illius grandiloquentiæ, animique virtuti reſpondeat. Fuit quondam tempus, cum res noſtræ florerent, ac præclare ſe haberent; cum nimirum ſuperflua hæc, & verborum lepore, atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad Divinas res ne aditum quidem habebat, verum idem erat calculis ludere inverſionis celeritate oculorum obtutum fallentibus aut omnigenis, & laſcivis Corporis flexibus ſpectatores ludificari, quod novi quidpiam, ac curioſi de Deo vel dicere, vel audire, ſimplex contra, ingenuaque oratio, atque doctrina exiſtimabatur. At poſteaquam Sexti, & Pyrrones, & contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam, ac malignus morbus in Eccleſias noſtras magno noſtro malo irrepſerunt, ac nugacitas doctrinæ, atque eruditionis opinionem tulit, quodque Actorum (b) liber de Athenienſibus narrat; ad nihil aliud vacamus, quam ut novi aliquid dicamus, vel audiamus. O quis Hieremias confuſionem noſtram, caliginemque deplorabit, qui ſolus lamentationes calamitatibus exæquare novit! Huic furori Arius quidem ille, a furore nomen habens, initium dedit; qui etiam petulantis, & effrænatæ linguæ pænas expendit, in obſcænis, & impuris locis extinctus; atque orationis, non morbi viribus oppreſſus, ac Judæ inſtar ob eandem Verbi pro-*

(a) *S. Greg. Nanz. orat.* 21. *pag.* 375. *Tom.* 1

(b) *Act.* 17.

ditionem diſruptus. Verum alii hunc morbum excipientes, impietatis artem condiderunt, nimirum qui Divinitatem Ingenito circumſcribentes, non modo Genitum, ſed etiam Procedentem Divinæ Naturæ finibus exturbarunt, nominis tantum ſocietate Trinitatem honorantes, immo ne hoc quidem ipſi integrum relinquentes. At non eodem modo Beatus ille, & vere homo Dei, ac magna veritatis tuba. Quin potius cum illud perſpectum haberet, & Tria hæc in numerum unum contrahere, impii erroris eſſe, novique dogmatis Sabellii; qui primus Divinitatis contractionem excogitavit: & rurſus Tria, quantum ad naturam, diſtrahere, nihil aliud eſſe, quam portentoſam Divinitatis Lectionem introducere: hanc rationem retulit, ut unum, quantum ad Divinitatem pulchre ſervaret, & tria, quantum ad Proprietates, pie doceret. „ Quis igitur non deplorabit erroneam confuſionem a Dallæo illatam? qui integrum Nazianzeni textum minime attulit, ut quæ hic S. Doctor de impiis hominibus, Ario, & Sabellio ſcripſerat, ea ille nuperus cenſor antiquis Patribus nequiter imputaret. Nam idem Gregorius dixit, quod *ſuperflua*, & *verborum lepore fucata tractandæ Theologiæ ratio ne aditum quidem ad Divina habebat*; ſed *idem erat calculis ludere*, aut *laſcivi Corporis flexibus ſpectatores* ludificari; ac *novi quidpiam, & curioſi* de *Deo vel dicere*, vel *audire*. Hinc & *contradicendi libidinem*, qua Sexti, ac Pyrrhones incitati fuerant, & *doctrinæ nugacitatem*, *caliginem*, atque *confuſionem ſecutus* eſt *Arius*, qui *huic furori* in Alexandrina Eccleſia *initium dedit:* quem *morbum Sabellius*, *aliique exceperunt*. Non ergo vetuſti Patres, ut Dallæus falſo ſupponit; ſed Arius & Sabellius confuſum verborum leporem, aut *ſuperfluum* ornatum ſumpſerunt; quo & *caliginem* quorundam indoctorum animis offunderent, & facetiis fallerent atque perfidia. Ille autem lepos aberat a *ſimplici*, & *ingenua oratione*, ac doctrina olim adhibita; quæ cum in ea oratione conſiſteret, idcirco etiam eloquentia, quæ nihil aliud eſt, quam copioſe loqui, conſtabat; cujus ſimplicitatem S. Athanaſius non immutavit; quoniam Nazianzenus adverſus Arii, & Sabellii lepores, atque impias artes probat, & affert cum illam *ſimplicem*, *ingenuamque orationem*, tum S. Athanaſii *Eloquentiam*, atque doctrinam: quibus quoque ipſe S. Gregorius eloquens ſicut Dallæus affirmat, inſtructus eſt. Omnes itaque Patres poſteriores Priorum ſimplicem, & ingenuam eloquentiam Apoſtolicis doctrinis bene inſtitutam, non aſpernati ſunt, ſed ſecuti, illis fidei dogmatibus clare monſtratis.

Age ſume quidpiam de Rhetorica apud æquum cenſorem S. Hieronymum; quem quoniam aliqui iniquius accuſabant, quod in libris adverſus Jovinianum Virginitatem laudans, aut prætermiſerit nuptias, aut damnavit: idcirco illis S. Doctor in Epiſtola ad Pammachium reſpondet: „ (a)
„ cum toties, & tam crebro lectorem admonuerim, & per ſingula tractuum millia cautus viator inceſſerim, me ita recipere nuptias, ut eis continentes, viduas, virgines que præferrem; debuerat prudens

(a) S. *Hier. Epiſt. cit.* 48. *T.* 1. *pag.* 219. *pone*

„ dens & benignus lector, etiam ea, „ quæ videntur dura, æſtimare de „ cæteris, & non in uno, atque eo- „ dem libro criminari me diverſas „ ſententias protuliſſe. Quis enim „ tam hebes, & ſic in ſcribendo ru- „ dis eſt, ut idem laudet, & damnet, „ edificata deſtruat, & deſtructa ædi- „ ficet; & cum adverſarium vice- „ rit, ſuo noviſſime mucrone feria- „ tur? Si ruſticani homines, & vel „ Rhetoricæ, vel Dialecticæ artis „ ignari, detraherent mihi, tribue- „ rem veniam imperitiæ, nec accu- „ ſatores meos reprhenderem, ubi „ non voluntatem in culpa cernerem, „ ſed ignorantiam. Nunc vero cum „ diſerti homines, & liberalibus ſtu- „ diis eruditi magis velint lædere, „ quam intelligere; breviter a me „ reſponſum habeant, corrigere eos „ peccata debere non reprehendere. „

Corrige igitur Dallæi peccata, quibus S. Hieronymum inconſulto arguit, quod & ſuorum operum lectorem Rhetorica, ac Dialectica eruditum poſcat, & idem judicium faciat de ſcriptis Tertulliani, Origenis, Methodii, Minutii Fælicis, Cypriani, Lactantii, Euſebii, Hilarii, aliorumque, quos eodem dicendi genere uſos fuiſſe aſſeverat: qui veteres ſi lectorem illarum artium non imperitum cupiunt; non ideo percipi nequeunt. Nam & Hieronymi, & cæterorum opera non *ignari*, ſed *eruditi*, dum velint, *intelligere* poſſunt.

Hinc Dallæus *Ruſticanos*, quibus liberales artes tenebras afferunt, non iis diſciplinis inſtructos appellare debuit; quippe qui ſapientes inficientur, aptas, raraſque metaphoras, aptas figuras, aptaque argumenta facere, ut Patrum ratiocinationes, orationeſque obſcuræ videantur: nam ſapientiſſimus Hieronymus affirmat, *Cyprianum*, (*a*) *quod Idola Dii non ſint*, *verborum*, & *ſenſuum ſplendore* monſtrare. Cyprianus igitur rhetor, ac reliqui Patres *liberalibus ſtudiis eruditi*, res, quas tractabant, non obſcurarunt; quippe in quibus luceat *verborum ſplendor* & *ſenſuum*.

Atque etiam ex illa S. Hieronymi Epiſtola ad Pammachium aliam Regulam habemus; qua *diſcerti* homines & in elucleandis nonnullis Patrum metaphoris, ac figuris utantur, & ſua ſtudia metiantur; dum eæ figuratæ locutiones ex *cæteris*, nimirum ex generali Patrum ſcopo, ex particularibus argumentis, ex antecedentibus, & conſequentibus, exque aliis connexis, plane *intelliguntur*:

At Dallæus perperam objicit S. Hieronymi ſomnium quaſi rem Rhetorum more confictam; idque Cenſor ille ex Apologia, quam S. Doctor adverſus Ruffinum exaravit, falſo oſtentat.

Cum enim Hieronymus unis litteris Euſtochium monuiſſet, (*b*) *ne multum diſerta* eſſe vellet; cumque etiam ſomnium narraſſet, in quo admonitus erat, ut a legendis Gentilium Oratorum, ac Philoſophorum libris abſtineret: tum iſtud ſomnium, tum S. Doctorem inde Ethnicorum Opera lectitantem Ruffinus criminatus eſt; contra quem Hieronymus hæc protulit: „ (*c*) Nunc autem no- „ vum impudentiæ geuus objicit mi- „ hi ſomnium meum. Utinam ce- „ le-

(a) S. Hier. in cit. Ep. ad Mag.
(b) S. Hier. Epiſt. 22. pag. 112. Tom. 1.

[c] S. Hier. lib. 1. Apol. cont Ruf. T. 2. pag. 487.

Digitized by Google

„ lebritas loci, & ſanctorum de toto „ orbe conventus ſineret, me Divi„ nas ſcripturas legere! In tantum „ ſpatium non habeo externa meditandi. Sed qui ſomnium criminatur, audiat Prophetarum voces, „ ſomniis non eſſe credendum: quia „ nec adulterium ſomnii ducit me „ ad tartarum: (a) nec corona Martyrii in Cælum levat... Non tibi „ ſufficiunt, quæ de vigilante confingis, niſi & ſomnia criminteris. „

Nunc adſpice, quantum tenebrarum non Rhetoricæ ornatus vero Patrum ſenſui, ſed Dallæi figmenta ejus dictis offundant, qui ipſe primum refert, S. Hieronymum in Epiſtola ad Euſtochium teſtari, quod *ſomnus* fuerit, in quo prophanorum auctorum lectio ſibi vetita videbatur: qui ſi poſtea *plagas ſenſit*; non ideo *ſomnus* non fuit: quoniam nonnulli, dum dormiunt, quaſi telis acti, etiam poſt ſomnum exagitati videntur: nemo igitur ſibi perſuadet, ipſum fuiſſe verum viſum; totam eam narrationem eſſe veram; ac verba lectioni illi contraria, prout ſonant, intelligi debere: utpote quæ *ſomnum* enarrent. Deinde ex laudata Apologia, cujus contextum Dallæus prætermittit, non certum, ſed falſum eſt, ſomnium illud Rhetorum more fuiſſe ab Hieronymo fictum, ut vehementius lectores ab Ethnicorum præſertim eloquentium ſtudio deterreret. Quid illud fingit Dallæus? Datne, ſomniis eſſe credendum? Atqui S. Doctor magis contra Ruffinum declaravit *ſomnia* fuiſſe, quibus ab ea lectione arceret; quibus tamen credendum non eſſe ex Prophetis aſſeruit. Non ergo eandem ſomnii narrationem Rhetorum more, eoque fine confinxit: ſecus illi credendum dixiſſet cujus tamen contrarium affirmavit. Quin etiam illa, quæ Ruffinus de ipſo Hieronymo *vigilante confingit*, S. Doctor ab ipſis *ſomniis* ſecrevit; quæ, quoniam a fictionibus diſtinguuntur, nullo modo ficta ſunt, quæque proinde ab Hieronymo vigilante conficta fuiſſe, Dallæus criminatur, atque mentitur.

Itaque Hieronymus vigilans docuit, ac voluit, Theologum Divinarum, Scripturarum, ac dogmatum ſtudiis deditum eſſe, ab eoque *externorum* auctorum libros, e quibus liberales artes percipiuntur, ita legi poſſe, ut *non multum*, ſed mediocriter diſertus ſit; quod etiam Tullius docet his verbis: „ (b) Eloquentia facul„ tate præclara arte mediocris.

Hanc mediocrem eloquentiam S. Hieronymus probans, Malchi vitam diſerte deſcripſit; cujus fere initio ait: „ (c) Ego, qui diu tacui (ſi„ lere quippe me fecit, cui meus „ ſermo ſupplicium eſt) prius exer„ ceri cupio in parvo opere, & ve„ luti quandam rubiginem linguæ „ abſtergere, ut venire poſſim ad la„ tionem Hiſtoriam. „

Ecquis ſcit, an non iſte Hieronymi ſermo fuerit ſupplicium Dallæo? qui ſcribere auſus eſt, fortaſſe Malchi vitam, „ quam ille tanta arte, „ totque adhibitis ornamenris pin„ git, ejuſdemque modi cum ejus „ tum aliorum ſcripta, ingenii lu„ ſum eſſe.

Jam

(a) Hæc corona viſa in ſomnis de quibus S. Doctor loquitur, in Cœlum non levat.

(b) *cit. lib. 2. de orat* 4.

(c) *S. Hier. in mal. vit. pag.* 41 T. 1.

Jam Dallæus non coloribus, ſed
ornamentis pingit conſtructionem
ſuam, & phraſim abſurdam, qua
uſus eſt latinorum veterum nemo.
Nemo autem elegans dicendi genus,
quo Cicero, & Cornelius Nepos Ora-
torum, & virorum illuſtrium geſta
deſcripſerunt, leve eſſe, ac non ſa-
tis dignum eorum perſonis judicabit;
ergo etiam Malchi vita, ac reliqua
hujuſmodi cum ipſius Hieronymi,
tum aliorum opera, quæ mediocri,
ac præclara eloquentia conſtant, non
leves ingenii ludi, ſed lumina ſunt,
quibus illud omne, quod hiſtoriæ
mandarunt, proſpicitur, atque a cri-
ticis adprobatur: quorum unus Hie-
ronymus in adducto initio vitæ Mal-
chi nequaquam diſſimulans, ait ,, ſi-
,, lere me fecit, cui meus ſermo ſup-
,, plicium eſt. Unde cupiit, veluti
,, quandam *rubiginem linguæ abſter-*
,, *gere*, ut venire poſſet ad latiorem
,, hiſtoriam. ,, Tum de S. Pauli pri-
mi Eremitæ vita Paulo Concordienſi,
cui eam inſcripſerat, dixit: ,, (*a*)
,, propter ſimpliciores quoſque mul-
,, tum in deliciendo ſermone labo-
,, ravimus. Sed neſcio quomodo,
,, etiamſi aqua plena ſit; tamen eun-
,, dem odorem lagena ſervat, quo,
,, dum rudis eſſet, imbuta eſt. ,,
Atque etiam in Prologo vitæ S. Hi-
larionis, hæc verba fecit; ,, (*b*) Scri-
,, pturus vitam beati Hilarionis, ha-
,, bitatorem ejus invoco Spiritum San-
,, ctum, ut qui illi virtutes largitus
,, eſt, mihi ad narandas eas ſer-
,, monem tribuat, ut facta dictis
,, exæquentur. Eorum enim, qui
,, fecere, virtus (ut ait Criſpus) tan-
,, ta habetur, quantum eam verbis
,, potuere extollere præclara ingenia.
,, Alexander Magnus Macedo, quem
,, vel Arietem, vel Pardum, vel Hir-
,, cum caprarum Daniel vocat, cum
,, ad Achillis tumulum perveniſſet,
,, felicem te, ait, juvenis qui ma-
,, gno frueris præcone meritorum:
,, Homerum videlicet ſignificans: Por-
,, ro mihi tanti, ac talis viri con-
,, verſatio, vitaque dicenda eſt, ut
,, Homerus quoque ſi adeſſet, vel
,, invideret materiæ, vel ſuccum-
,, beret. Quamquam enim Sanctus
,, Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſ-
,, copus, qui cum Hilarione pluri-
,, mum verſatus eſt, laudem ejus
,, brevi Epiſtola ſcripſerit, quæ vul-
,, go legitur: tamen aliud eſt locis
,, communibus laudate defunctum,
,, aliud defuncti proprias narrare vir-
,, tutes. Unde & nos favore magis
,, illius, quam injuria, cæptum ab
,, eo opus aggredientes, maledi-
,, corum voces contemnimus: qui
,, olim detrahentes Paulo meo, nunc
,, forte detrahent & Hilarioni: illum
,, ſolitudinis calumniati, huic ob-
,, jicientes frequentiam: ut qui ſem-
,, per latuit, non fuiſſe: qui a mul-
,, tis viſus eſt, vilis exiſtimetur. ,,
Arce modo Dallæi, & Amerini
Commentum, cui ſe ſe opponere Hie-
ronymus neutiquam diſſimulavit;
cum videlicet Malchi res litteris il-
luſtravit, non quo eloquens appare-
ret, ſed *ut ad latiorem venire poſſet*
hiſtoriam. Tolle etiam Dallæi men-
dacium, quo ait, non diſſimulare
Hieronymum; de vita Pauli Eremi-
tæ, deque illis ornamentis idem fa-
ctum fuiſſe judicium a quibuſdam ma-
levolis ſuis, quaſi iſti judicaſſent,
ab

[a] *S. Hier. Epiſt: n. ad Paul. Conc. pag.* 24 *Tom.* 1.

[b] *S. Hier. in eod. Prol. pag.* 13. *T.* 2.

ab Hieronymi elocutione Pauli vitam obſcurari: in quibus perſpicue mendacium eſt: neque enim *maledici* illi Hieronymi eloquentiam, ſed *Pauli ſolitudinem* inique aſpernati ſunt, & *calumniati*. Quocirca S. Doctor *propter ſimpliciores in dejiciendo ſermone laboravit*, etſi ejus ſtylo imbuta fuerit illius vitæ deſcriptio: quæ proinde nimio ſermone eloquenti obſcurata non eſt. Neque Hieronymus illam Epiſtolam, in qua hoc aſſerit, declamandi modo exaravit; neque etiam vel Epiſtolam 47. quæ ad *Matrem*, (a) & *Filiam* ſcripta eſt, vel reliquas ſuas Epiſtolas eodem declamatorio more compoſuit, quo ſcilicet eloquentiæ periculum faceret: propterea quod Hieronymus & multum ſermonis, & *nimium diſertos* homines arguit, referente Dallæo: nunquam ergo S. Doctor multum declamatorium ſermonem, qui rebus tenebras affert, quemque nimis diſerti excitare ſolent, produxit; quamvis diſerte locutus ſit; ſicuti præmonuimus, atque diſtinximus. Cumque Epiſtola 47. Matrem, & Filiam ad fugienda pudicitiæ pericula S. Doctor adhortatus ſit: hinc illi Epiſtolæ declamatoriam periocham Amerinus temere appoſuit: quoniam Hieronymus *propter ſimpliciores* illas eandem Epiſtolam ſcripſit, non ut eloquentiæ periculo defungeretur, ſed ut illa pericula declinanda ſimplicioribus affatim & clare proponeret. Jam vide, quantum commentis, ac mendaciis Dallæus ſua opera onerarit, ac quantum mali ſibi fecerit, non cedens perſpicuis Veterum enuntiatis; quorum mediocris eloquentia rebus lumen ſic adhibet, ut *Eruditi intelligant* Euchariſtiæ laudatæ, aliarumque rerum dogmata, quæ Hieronymus in allata Epiſtola ad Pammachium docuit; utque *ſimpliciores* bona *ſolitudinis*, & pudicitiæ caperent documenta. Proinde magno noſtro bono factum eſt, ut & Patres non liberius, ſed mediocriter Rhetoricæ præceptis, quæ pigmenta Dallæus perperam vocat, abundarent; & Divina Chriſtianæ religionis myſteria aperirent.

Quare nullas vitioſas hyperbolas obſervarunt vel Hieronymus in Hilario, cujus *libro inoffenſo pede decurri* adſtruxit; vel S. Auguſtinus in Ambroſio, (b) cujus eloquentiam probavit; vel Photius in Chryſoſtomo, cujus *dictionem claram*, & ſenſa oſtendit: quos Patres proinde Dallæus iniqua vexavit cenſura.

Hic Cenſor etiam magno in errore verſatus ac veterum opera haud ſcrutatus, pertendit; eorum libros, ob Rhetoricæ pigmenta probabiliter uſui eſſe non poſſe.

Quid tam futile, quam id aſſeverare probabile quod Cenſor ipſe neutiquam ſcivit? Sciat ergo, Patrum ſcripta maximo uſui fuiſſe eidem Hieronymo; qui & in S. Cypriani Rhetoris operibus nulla pigmenta, ſed *ſenſuum ſplendorem* eſſe perſpexit: & in Hilario, cujus libros *inoffenſo pede decurri* monſtrarat, nullas obſervavit hyperbolas: quas neque vidit in Ambroſio; (c) quippe cujus, & *reliquorum ſententiam ſecutus* fuerit in *dogmatibus* aſſerendis. Ac S. Auguſtinus eorumdem Patrum *fidem Catholicam*, quam *apertiſſime* defenderunt,

(a) *S. Hier. Epiſt. 47. nunc 117. T. 1. pag. 717.*
(b) *vide Diſſert. IV.*
(c) *S. Hier. in Ep. ad Pam. pag. 124.*

runt, tenuit; qua etiam plures Synodi generales ſæpe commendatæ ad evertendos errores uſæ ſuerunt. Et Photius adductus non modo nulla pigmenta, nullaſve hyperbolas in Chryſoſtomo, aliiſque Patribus Græcis diſertis adnotavit; verum etiam illius *claram dictionem*, & horum eloquii *puritatem*, *claritudinem*, auctoritatemque adverſus Hæreticos valere prædocuit. Quare Sixtus Senenſis voluit, aliquorum amplificationes quibus populos ad vitia emendanda hortabantur, improprias hyperbolas eſſe, ac nulla involvi obſcuritate: ſiquidem ipſe Sixtus jam teſtatus eſt, quod *Interpretes*, (*a*) & *Doctores verbis* ſacra *abdita Myſteria reſerarint*, & *codicibus pie*, *ac perſpicue explicarint*. Cum itaque diſerti Patres & eruditi S. Myſteriis, ac dogmatibus explicandis lumen adhibeant; atque ut certi *Fidei* Catholicæ teſtes ab illis Conciliis, & a doctis Criticis producantur; ac ſic non probabilem, ſed errantem Dallæi opinionem, qua Patrum uſum in rebus dogmaticis certum non habet, convellant; dubio procul ad quælibet dogmata oſtendenda illorum libris, verbis, *ſententiis*, ſermonibus, ac *Fide* uti debemus.

De Patrum logice.

CUm Dialectica tradat affirmandi, negandi, & concludendi rationes, quæ ad res ipſas, de quibus agitur, referantur oportet: nunc ad Patrum affirmationes, negationes concluſiones, earumque cauſas, quæ primitus ad logicen pertinent, quaſque Patres tractant, rectius accedimus.

Primum ex eodem veterum loco, ex connexis, exque aliis locis ſpectanda ſunt & intelligenda, quæ Patres vel ſæpe abſolute, vel aliquando comparate aut affirmant, aut negant.

Ad iſtam Regulam nos S. Hieronymus dirigit; qui, exempli cauſa, virginitatem nuptiis exæquandam non eſſe, abſolute affirmavit: cui cum quidam objicerent, quod libris contra Jovinianum in nuptias invehi videbatur: (*b*) illis S. Doctor reſpondit: „ legimus, a Baldad (*c*) dictum „ de impio, *avellatur* de *Tabernaculo tuo fiducia ejus*, & *calcet ſuper eum quaſi rex interitus*, *habitent in tabernaculo ejus ſocii ejus*, „ *qui non eſt*. Haud dubium, quin „ Diaboli, qui cum habeat ſocios; „ non autem haberet, niſi eſſet: tamen, quia Deo periit, *non eſſe* dicitur. Ergo ſecundum hunc comparationis ſenſum, malum diximus „ mulierem tangere, licet uxoris nulla facta ſit mentio: quia bonum „ eſt non tangere, „ ac rurſus allatis illis Apoſtoli verbis, „ ſi ſe non „ continent, nubant, melius eſt enim „ nubere, quam uri: „ S. Doctor ait: „ ideo melius eſt nubere, quia „ pejus eſt uri. Tolle ardorem libidinis, & non dicet, quia melius „ eſt nubere, quam uri melius ſemper ad comparationem deterioris „ reſpicit, non ad ſimplicitatem incomparabilis per ſe boni: velut „ ſi diceret, melius, eſt unum oculum habere, quam nullum, poſt „ paululum cum apoſtropham fecif- „ ſem

(*a*) *Vide Sixti Sen. Præfationem in Diſſ.* 2.
(*b*) *S. Hier. Ep.* 48. *ad Pam. pag.* 223. *T.* 1.
(*c*) *Job. LX.* 14.

„ ſem ad Apoſtolum; intuli: *ſi* per „ ſe bonæ nuptiæ ſunt; noli eas in- „ cendio comparare; ſed dic ſimpli- „ citer, *Bonum eſt nubere*.

Tantum porro valuit Dallæi error, qui mihi jam ſublatus videtur, ut illa in Hieronymi libris contra Jovinianum, & alibi extare cum ſciret; tamen fingeret, ipſum S. Doctorem, Marcionitarum, & Encratitarum, qui nuptias malas errore dicebant, æſtro percitum, impotenter in ipſas nuptias invectum fuiſſe. Impotens, ac nulla ſit cenſoris argutatio, quandoquidem in iiſdem operibus Hieronymus adverſus illos Hæreticos abſolute aſſeveravit, *nubere ſimpliciter bonum* eſſe, ac *nuptias per ſe bonas incendio non* eſſe *comparandas*, cum ergo inibi ait, „ ſi corruptio ad om- „ nem coitum pertinet, incorruptio „ autem proprie caſtitatis eſt; præ- „ mia pudicitiæ nuptiæ poſſidere non „ poſſunt: „ ſane nuptiarum coitum improprie eſſe corruptionem intelligit; qua ſcilicet conjuges non contaminentur, neque ſpe æternæ beatitudinis excidant: quia nuptiarum coitum ſignificavit non eſſe eam *incorruptionem*, quæ *proprie Caſtitatis*, ſive virginitatis eſt, cujus proinde reſpectu & impropriam conjugum corruptionem, quæ nempe nuptiarum bonum non adimit; & Virginitatem, cujus propria eſt incorruptio, ſummam eſſe *pudititiam*, Hieronymus voluit; qui nec abſolute dixit, quod conjugii nulla ſunt præmia; ſed comparate ſcripſit, quod *præmia pudicitiæ*, ſive virginitatis, *nuptiæ* poſſidere non poſſunt: quæ virginitatis præmia cum ſint altiora nuptiarum præmiis: ideo iſta inferiora ſunt illis; neque adeo nuptiæ, quamvis In *carne ſeminent*, *ſpiritum*, & cæleſte præmium diſſolvunt. Itaque & virginitatis dignitatem cum nuptiis non exæquari, & ipſas nuptia *ſimpliciter bonas* eſſe, Hieronymus in utroque ſcripto adverſus Marcionitas, Encratitas, & Jovinianum abſolute affirmavit, quibuſdam verbis comparate intellectis.

Hanc ipſam legem illi veteres firmant, quorum vocibus Iconomachi in Nicæna II. Synodo abuſi, primum opponebant. S. Joannem Chryſoſtomum ita loqui: „ nos per ſcriptu- „ ras Sanctorum præſentia fruimur, „ non corporum, ſed animarum ima- „ gines habentes. Quæ enim ab il- „ lis dicta ſunt, animarum ipſorum „ imagines ſunt. „

Hic, ut animo cernis, non de ſacrarum imaginum uſu, ſed de Sanctorum dictis, ac *Scripturis*, quæ non corporeæ, ſed ſpiritalis eorum vitæ imaginem proponebant. Chryſoſtomus egit: qui proinde imaginum nomine *non Corporum imagines* pictas, ſed *ſanctarum animarum* exempla, quæ in Sacris libris, & in *Sanctorum* actis ſcripta erant, accepit; quo Fideles & a Corporeis Mundi rebus averteret, & ad legendorum illorum voluminum ſtudium, excitaret: in quo quidem S. Doctor ad bona ſanctorum exempla, uti ſeptima ſynodus denotat, reſpectum habuit: veruntamen de Sacris imaginibus ibi nequaquam tractavit; ac proinde Iconomachis faviſſe a Dellæo inique dicitur: maxime cum alibi eos ſimpliciter collaudarir, qui S. Meletii imaginem præſertim *in Calicibus* exaraverant.

Sed quid agit Dallæus? eſtne ſincerus, qui S. Amphilochii teſtimonium a ſuis connexis reciſum producit? nam ita Iconomachis blanditur, de quibus illa ſeptima ſynodus iſtud optime protulit: „ Hæretico-

tico-

„ ticorum (a) ergo proprium eſt, „ recіſa producere teſtimonia. Nam ſi „ quis ſtudioſe ſcrutatus fuerit; nullo modo ſenſum Patris inveniet „ inhibente venerabilium imaginum „ formationem: ſed fortitudinem collaudans, & firmamentum animæ „ Sanctorum affectus, & præferens „ virtutum effectum, hæc locutus „ eſt Pater; ut ad imitationem nos „ erigeret converſationis eorum. Non „ enim ob carnalem amorem illos „ laudamus, aut depingimus: ſed „ ad imitationem volentes habere „ virtutum eorum: & in libris vi„ tas ipſorum deſcribimus; & in „ imaginali ſcriptura illos depingi„ mus; cum minus indigeant, hoc „ a nobis hiſtorice collaudari, vel „ in imagine lineamentis depingi. „ Sed ad utilitatem noſtram hoc, „ ſicuti prædictum eſt, facimus, non „ enim tantum paſſiones Sanctorum „ nos ad ſalutem noſtram erudiunt; „ ſed ipſa conſcriptio paſſionum ipſo„ rum etiam per imaginalem pictu„ ram oſtenſa. „

Itaque ex S. Amphilochii contextu ſeptimæ ſynodi Patres oſtenderunt, illum voluiſſe, ut *non ob carnalem amorem*, ſed ob ſpiritale *Sanctorum affectum*, ob eorum *virtutes*, ac propter iſtarum *imitationem* ſanctæ imagines depingerentur, quare, habito ad carnalem amorem reſpectu, Amphilochius non curavit ut pingerentur eædem imagines, quas tamen habita ſanctorum vivendi ratione *utilius* depingi, ille ſimpliciter innuit, monſtrante eodem Concilio.

In iſta comparatione Aſterium, qui ſeculo quarto Amaſeæ Epiſcopus extitit, propterea ſequimur, quod is quanquam docuit, Chriſtum in *Stragulis*, quæ ſternebantur, & in quibus dormiebat, ob indecentiam pingi haud debuiſſe; ideoque eorum ſumptuum expenſas pauperibus ſuppeditandas eſſe: tamen parvam S. Euphemiæ Martyris hiſtoriam ſcribens, & illius Martyris imagines in locis convenientibus pictas narravit, & pium earum cultum abſolute aſſeruit. Porro Aſterii verba idem ſeptimum (b) Concilium profert hoc modo: „ At vero Pictor pie agens „ & ipſe, per artem ſecundum vi„ res, totam ejus hiſtoriam in ſin„ done figurans, circa ſepulchrum „ poſuit titulum. „

Eruditi igitur hæc legentes ſibi perſuadent, Dallæum, veritate minus perſpecta impudenter, & falſo dicere, quod ex Iconomachorum genere fuerint, tres Patres modo laudati: qui quidem comparate adſignificarunt, ſcriptam Chriſti, & ſanctorum vitam magis, quam imagines, ab ſtudium cognoſcendæ virtutis, paſſionis, & beneficentiæ excitare: verumtamen Sanctorum imagines in calicibus probe exarari, & in ſindone *pie* depingi, ſimpliciter affirmarunt: quæ affirmatio illorum hæreticorum errorem, quo pium ſacrarum imaginum uſum, & cultum negabant, evertit; ac proinde commonſtrat, eoſdem Patres ex eorum Nebulonum genere, haud eſſe, ſed ipſorum hæreſi liquido repugnare.

Jam ſequitur, ut de illa S. Gregorii Magni Epiſtola, in qua is pluribus Auguſtini Monachi quæſtio-

M 2 ni-

(a) Conc. VII. act. VII. Tom. 8.
(b) Conc. VII. act. 6. pag. 232. Tom. 8.

Conc. Lab.

nibus reſpondit, quidpiam dicam, ipſamque Epiſtolam legitimam eo probem; quia & Beda ipſi Gregorio ferme coævus, & Zacharias, Romanus Pontifex eidem propemodum ſuppar illam Epiſtolam huic (a) Pontifici adſcripſerunt: (b) a qua certa critices ratione Rivetus, & Dallæus, deſciſcunt, dum eandem Epiſtola Gregorio Magno ſuppoſitam immerito volunt.

Gregorius itaque Auguſtino quærenti de Conſanguinitatis gradibus, intra quos videlicet matrimonium contrahere Anglis recens ad Chriſtum converſis liceret, hæc ſcripſit: „ (c) „ quædam terrena lex in Romana „ Republica permittit, ut ſive fratres, ſive ſorores, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum Filius, & Filia miſceantur. Sed experimento didicimus, „ ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, & ſacra lex prohibet, cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam „ tertia, vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat, „ nam ſecunda, quam dicimus, a „ ſe omnimodo debet abſtinere. „

His quidem ſummus ille Pontifex ſecundum ſacram legem abſolute prohibuit, ne vel in primo, vel in ſecundo Conſanguinitatis gradu matrimonia contraherentur. Cum ergo eam diſpenſationem ſuſcepit, ut in tertia, vel quarta generatione exiſtentes, licite jungi poſſent, id comparate intellexit de nuperis fidelibus Anglis, de quibus Auguſtinus in Britanniam miſſus, qui eam inſulam ad Chriſti fidem adduxerat, loquebatur.

Hunc ſenſum intellectu facillimum eſſe Beda indicavit; cui quoniam inſitum fuit, ea, quæ ad Anglos ſpectabant, Hiſtoriis mandare: idcirco ipſe in hiſce illam Gregorii diſpenſationem, utpote ad Anglos miſſam narravit: quo diſerte innuit, eandem extraordinariam diſpenſationem non ad omnes Fideles, ſed ad Anglos recens converſos pro quibus petita, & impetrata fuerat, pertinuiſſe.

Alteram vero Gregorii Epiſtolam, quam is ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum miſit, ſuppoſitam eſſe, Blondellus falſo aſſeverat, cujus argumenta non invicta, ſed infirma eo confutantur, quod (d) Joannes Diaconus, (e) Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, & Regino Abbas Prumienſis, ſæculo nono florentes, ac ſic Gregorio Magno fere ſuppares, ipſam Epiſtolam eidem Pontifici adſcripſerint; quorum conſenſu ea non ficta, ſed vera monſtratur; quæ quamvis in illis particulis, *ſpecialiter*, & *generaliter*, interpolata videatur, quas gloſſas eſſe, & ita e margine in textum irrepſiſſe Dallæus ipſe ſignificat: nihilominus adulterina non ſunt iſta ipſius Epiſtolæ verba: „ Quod „ autem ſcripſi Auguſtino Anglorum „ gentis Epiſcopo de Conſanguini- „ tatis conjunctione: ipſi, & An- „ glorum genti quæ nuper ad fidem „ venerat, ne a bono, quod cœperat, metuendo auſteriora, recederet, & non ceteris me ſcripſiſſe „ cognoſcas. „

Atvero Dallæus ait, ea verba a quodam, cui Gregoriana indulgentia diſplicuerat, ficta fuiſſe.

Sed

(a) *Beda eod. lib. 1. Hiſt. Angl. cap. 29.*
(b) *Zach. in R. Conc cap. 15.*
[c] *S. Greg. M. lib. 11. indict. 4. Ep. 64. pag.* 154 T. 2.
(d) *Jo Diac. lib. 3. vit. S. Greg. cap. 37.*
(e) *Hinc. de divor. cap. 77. Reg. in app. c. 10.*

Digitized by Google

Sed confiſta potius eſt a Dallæo hæc diſplicentia, utpote quæ a nullo antiquorum laudatorum memoretur, neque enim Beda, neque ullus ſcriptor vetus, quorum temporibus Conſanguinitas uſque ad ſeptimum gradum extendebatur, illam Gregorii indulgentiam cuipiam diſplicuiſſe narrarunt; cujus rei contrarium proinde Dallæus confinxit; qui, etiam ſæcula, quæ poſt Gregorii ævum fluxerunt, indefinite, & artificioſe adduxit, prætermiſſa Lateranenſi (*a*) ſynodo quarta; quæ de ſeptimo Conſanguinatis gradu agens, eumque ob brevem hominum vitam facile noſci haud poſſe ſignificans, Matrimonii prohibitionem quarto conſanguinitatis gradu circumſcripſit. Non igitur propter ullam prioris Gregorianæ Epiſtolæ, & illius extrordinariæ diſpenſationis, cui ordinaria Lateranenſis concilii lex non opponitur, diſplicentiam poſterior Epiſtola eidem Gregorio ſuppoſita eſt: quoniam multo ante eandem ſynodum ſæculi XIII. initiis celebratam altera Epiſtola a productis ſæculi noni auctoribus ipſi Gregorio tributa fuit; cujus proinde verba, jam reſtricta, adulterina non ſunt; quippe quæ & Gregorii ſtylo, qui in aliis ejus litteris lucet, & priori Epiſtolæ valde reſpondeant.

Hæc nempe ad Auguſtinum Anglorum gentis Epiſcopum data, ac non adeo aliis ſcripta, ad Anglorum gentem quæ recens ad fidem ab ipſo Auguſtino adducta fuerat, ſolum attinuit, cui genti proinde, & *non cæteris*, uti in altera Epiſtola legimus, illam indulgentiam Gregorius conceſſit. Quare utraque Epiſtola ſibi conſona, & facillime intellecta, ei Gregorii inſtituto, ei diſpenſationi, eique rei geſtæ dant lucem.

Quocirca ſenſus abſolutus, ſenſuſque comparationis omnibus difficultatibus inde carent, quod utroque laudati Patres uſi ſunt ad explicandas ſcripturas Divinas, ad ſacrarum imaginun cultum declarandum, ad aliaque exponenda.

Hinc Dallæus illos duos intelligendorum Patrum ſenſus, quos oſtendimus, minime advertens; errore ducitur, dum primum abſolute affirmat, veterum ſcripta nonnunquam aliter, ac verba ſonant, & quædam loca, quæ de fidei dogmatibus afferuntur, comparate, ſive aliter, ac littera fert, probabiliter eſſe accipienda.

Contra iſta, ut erat propoſitum, de Patribus Nicænis dicatur, qui vel poſtea ab ipſo cenſore laudati celebrem illum Aſterii locum adduxerunt, in quo S. Euphemiæ imaginem *pie* depictam abſolute aſſeruit, & hanc ad ſepulchri locum, ubi poſita erat, comparatam adprobavit; quæ ſi quis aliter, ac *pii* vocabulum ſonat, acciperet; is textus veritati, pietatique adverſaretur; contra quas nimirum diceret, artificem in ea pingenda imagine, & collocanda *pie* non egiſſe; quod impium dictum expreſſo Aſterii teſtimonio abſolute, & comparate repugnat. Dallæi igitur aſſertio non probabilior, neque probabilis, ſed falſa eſt & erronea, quam etiam S. Hieronymus ſupra commendatus liquido evellit, qui *comparationem* in nonnullis ſuis dictis enucleandis ſecutus; ex pluribus Patribus allatum dogma, & alia ſidei documenta ita comparate oſten-

dit

(a) *Conc. Lat.* IV. *can.* 50. & 51.

Digitized by Google

dit, ut iſta etiam abſolute evincantur, utque nullo modo vel probabili ſecus, quam fert litteralis ſenſus Theologicus, accipi debeant. Plerique igitur Patres in quadam Rhetoricæ, & Dialecticæ arte verſati; atque in ſuis operibus, quæ antea diſtinximus, vel ſimpliciter, vel comparate locuti; nullas caligines Fidei dogmatibus affuderunt, ſed ea perſpicue declararunt.

Quare illud hic obſervatum volo, quod in polemicis Patrum ſcriptis quibus errores evertere ſtuduerunt, quæſtiones, varias rationes, & aſsertiones conſtantes diſtinguamus, oportet.

Primum enim quæſtione diſputant, quæ non affirmationibus, sed interrogationibus cum huc, & illuc trahatur, ob idque interrogandi pactum apparentia, non vera contraria involvere videatur: idcirco in quæſtione illa iſthæc contraria non ſunt; quia in quæſito, non in aſſertione, diſputatio, & conjectura, quæ etiam interrogandi modo fieri ſolet, locantur.

Deinceps Patres varias quoque quærunt rationes; quæ quoniam ad diverſa quæſita reſpectum habent: ideo nulla contradictione implicantnr, uti Dialectica docet.

Poſtremo in veterum libris conſtantes eorum aſſertiones inſpiciendæ ſunt, quæ in Fidei dogmatibus conſentiunt cum aliorum Patrum mente, atque ſententia.

Id Theodoretus affirmavit; qui antequam illa, quæ a Dallæo obtruduntur, ſcriberet; contra Eutychianorum hæreſim plura Patrum attulit teſtimonia; quibus produtis, ille uni Eutychiano, quocum loquebatur, hæc dixit: „ (*a*) Ecce
„ tibi eos, qui & Orientales: & Oc-
„ cidentales, atque etiam Auſtrales,
„ & Boreales Mundi partes colunt,
„ inanem hæreſim veſtram reprehen-
„ dere oſtendimus, & Divinam na-
„ turam aperte impatibilem prædi-
„ care; & utramque linguam, Græ-
„ cam dico & Romanam, conſen-
„ tientem de Fide confeſſionem pro-
„ ferre ... Miror ego horum viro-
„ rum conſenſum, ſed multam ſane
„ in eorum dictis diſtinctionem ani-
„ madverti, noli ægre ferre, ve-
„ hemens enim cum adverſariis con-
„ tentio fecit, ut modum excede-
„ rent. Hoc & iis, qui arbores co-
„ lunt evenire ſolet, cum enim
„ curvam plantam viderint; non ſo-
„ lum ad rectam normam, ſed in
„ alteram quoque partem ultra di-
„ rectum inflectunt, ut per nimiam
„ in contrarium inflexionem ad re-
„ ctum ſtatum perducatur, „

Hinc non dubitabo, Dallæum inertiæ condemnare & impudentiæ; dum Theodoreti antecedentibus nequaquam perlectis, temere ſcribit, quod Patres non raro ea imprudentes effutierunt, quæ cum cæteris Chriſtianæ religionis capitibus pugnant. Hæc cenſor audacter fingit adverſus Theodoretum, qui liquido ait, *Græcos* Patres, ac *Romanos conſentientem de Fide confeſſionem proferre*. Ergo veterum nullus, ſed nuperus cenſor pugnam illam effutit: nam *Patres in Fidei Confeſſione*, quæ etiam reliqua Catholicæ religionis capita a Theodoreto inibi adducta aperiebat, *conſentiunt*; ſicque cum iſtis minime pugnant.

Jam vero idem ſcriptor illam *fi-*
dei

(a) *Theod. Dial.* 3. *pag.* 161. *Tom.* IV.

dei Confeſſionem a Patribus prolatam ita retulit, ut ipſam a *contentione*, ſive diſputatione expreſſe ſecreverit; in qua cum Hæretici, ut infra videbimus contraria aſſererent, tum Patres de contrariorum uno, & altero diſceptantes: ac nunc in illud, nunc in iſtud Hæreticorum levitatem flectentes, & quidem ob hanc modum excedere viſi: reapſe tamen non exceſſere, atque oppoſitum Hæreticorum errorem conſecuti non ſunt, cum diſceptationem ad *recta normam*, atque adeo ad rectam *fidem* a Theodoreto præmiſſam, qua hæreſes convelluntur, veteres ipſi *perduxerint*.

Id eodem S. Dionyſii exemplo exponitur, quod Dallæus perperam petit a S. Athanaſio; qui Alexandrinus Antiſtes illum Dionyſium, qui ipſum ejuſdem Alexandrini Epiſcopatus honore anteceſſerat, ita defendit: „ (*a*) Cum igitur Dionyſius „ Alexandrinus Epiſcopus certior „ factus de Pentapolitanis, Zelo re„ ligionis hanc Epiſtolam contra hæ„ reſim Sabellii ad Ammonium, & „ Euphranorem ſcripſiſſet: quidam „ ex Eccleſia, recte quidem ſentien„ tes, ſed tamen ignari ejus cauſæ, „ cur ita ab eo ſcriptum eſſet: Ro„ mam aſcenderunt; ibique eum „ apud Dionyſium ejuſdem nominis „ Romanum Præſulem accuſarunt. „ Re comperta Alexandrinus ſimul & „ contra Sabelii ſectatores, & Arii „ dogmata volumen compoſuit. Ubi „ æquales, ſed tamen contrarias hæ„ reſes eſſe docet in Sabellii dog„ matibus, & blaſphemiis eorum, „ qui dicunt; Dei verbum Opus, „ vel creaturam eſſe .... Merito igi„ tur Hæreticorum improbabilitatem „ ſtupeas, quod Dionyſium dicen„ tem, Filium eſſe Patris Conſub„ ſtantialem, ſecum affirment ejuſ„ dem eſſe ſententiæ cum ille iſta „ non obiter tractet, ſed ſcriptis in „ id jam antea Epiſtolis, tum eos, „ qui eum notaverant, quaſi Patri „ Filium Conſubſtantialem eſſe ne„ gaſſet, mendacii coarguit, tum „ eos, qui illum ſuſpicati fuerant, „ quaſi verbum eſſe conditum di„ xiſſet, a ſe excutit, & profligat, „ docens, ſe nequaquam ita, ut „ illi arbitrantur, ſenſiſſe, ſed voces „ eas in illum uſum adhibuiſſe, ut „ oſtenderet, non Patrem eſſe, ſed „ Filium qui creatum, conditum, „ & factum corpus induerit Agri„ cola; qui alias, atque alias arbo„ res pro ſubjecti ſoli ratione curat, „ minime culpari debet, quod hanc „ amputet, illam inſerat, iſtam plan„ tet; aliam rurſus evellat, ſed po„ tius ob multiplicem ſolertiam in „ admiratione eſſe, quapropter ſi non „ obiter, & perfunctorie ejus viri „ ſcripta legerint indicent mihi, qua„ le argumentum, ſcopumque Epi„ ſtolæ ſecutus ſit. Si id fecerint, „ calumniam ſuam, animique pra„ vitatem in lucem proferent. „

Quare Dallæus ex S. Athanaſio falſe objicit, quod Dionyſius Alexandrinus Sabellium reſutando, in contrarium Arii errorem ſit lapſus: quam oppoſitionem refutat ipſe Athanaſius enarrans, eundem Dionyſium *docuiſſe: contrarias hæreſes eſſe in Sabellii dogmatibus*, & *blaſphemiis eorum, qui dicunt, Dei verbum Opus eſſe vel creaturam*. Ecce *contraria* ab Hæreticis, non a Patribus affirmata: quorum unus Dionyſius, velut agri-

[a] S. *Ath. in Epiſt. de S. Dionyſii Alex. Epiſc. ſententia.*

agricola, oppoſita evellens, & recta dogmata inſerens, *coarguit Mendacii* quoſdam Pentapolitanos recte quidem ſentientes, ſed illius cauſæ *ignaros*: quos docuit, ſe *nequaquam ſenſiſſe*, *verbum eſſe conditum*, ſed contra Sabellium oſtendiſſe, non Patrem eſſe, ſed Filium, qui *Patri Conſubſtantialis creatum*, *conditum*, & *factum Corpus* humanum *induerit*. Quæ aperte declarant, a Dallæo minus vere dici, quod ille Dionyſius, ſibi objecta, quæ Ario verbum Dei conditum impie aſſerenti diſertiſſime favebant, explicavit; quæ tamen Dionyſius *Mendacii* propterea coarguit; quia Dei *verbum conditum* eſſe *nequaquam ſenſit*, ſed humanum *Corpus factum*, & *conditum non* a *Patre*, ſed a Filio aſſumptum fuiſſe affirmavit, nuſquam in Arii hæreſim delapſus, quam inde magis, magiſque profligavit, Dei Filium Patri *Conſubſtantialem* aſſeverans. *Neque*, inquit (*a*) Athanaſius, „ *iſtiuſmodi ſcripta*, *quæ ne-* „ *gotiis attemperata ſunt*, *oportuit*, „ *maligne*, *odioſeque interpretari*, „ *aut ad cujuſque libidinem ſtudium-* „ *que torqueri*: „ in quibus proinde Dionyſius ſimpliciter cautus fuit, ſive abſoluta æconomia uſus, eſt, contra quam Dallæus contendit: ſecus Dionyſii ſcripta *maligne* interpretari, aut ad *cujuſque libidine torqueri* poſſent: quod Athanaſius ſimpliciter inficiatur, ſpectato illius *ſcopo* atque argumento.

At fruſtra a Dallæo Paulus Samoſatenſis, cujus hæreſim ſupra retulimus, rurſus adducitur; qui ne dixit quidem, unam Patris, & Filii eſſe perſonam, (*b*) ac diſtinctam utriuſque ſubſiſtentiam: errando autem protulit, Dei verbum non eſſe perſonam, ſed ſolam efficientiam; eamque, ſi Patri Conſubſtantialis foret, diviſam eſſe utriuſque ſubſtantiam, uti in corporibus cernitur; quo corporeo diviſionis ſenſu vocem illam Patres Antiocheni excluſerunt; qui tamen Dei Filium verum Deum æternum ſimpliciter affirmantes, ipſum ſpiritali ſenſu indiviſo Conſubſtantialem Patri eſſe indicarunt.

Dehinc S. Baſilius Dallæi methodum retundit, dum de S. Gregorii Neoceſarienſis doctrina ſic loquitur: „ Sabellii (*c*) malum olim quidem „ exortum, ſed traditione magni „ illius viri extinctum conantur nunc „ renovare ...., quaſi Gregorius in „ Fidei expoſitione dixerit, Patrem, „ & Filium mentis quidem cogitatione duo eſſe, ſed hypoſtaſi unum; „ hoc autem non docendi cauſa „ ſed decertandi in Dialogo cum „ Aliano dictum eſſe, intelligere non „ potuerunt, qui ſibi ipſi ob ingenii ſubtilitatem beati videntur: qua „ in diſputatione multa ſunt librariorum errata. „

Hanc Criticam, & Dialecticam Baſilii metodum prorſus afferre noluit Dallæus, ut varia confingeret. Primum enim falſo ait, ſententiam, adverſus quam Patres pugnant eorum omnium, quæ iſti aut affirmant, aut negant, eſſe menſuram. Quid ergo? eſtne menſura Hæreticorum *contraria* aſſerentium varietas? eſtne menſura *librariorum erratum?* quis Dallæi commentum non arcet? Nam contraria, & librariorum errata regulæ, quæ ſibi in omnibus conſona eſt.

(a) *S. Ath. ib.*
[b] *vide S. Ath. ſup. cit. & S. Epiph. her. 61. & Leoni. lib. de ſect. act. 3.*
(c) *S. Baſ. Epiſt. 110. pag. 314. Tom. 3.*

eſt, omnino adverſantur? quænam igitur ex Baſilio eſt Patrum regula? *Traditio*; qua S. Gregorius Neocæſarienſis *Sabellii malum extinxit*; quaque proinde Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum reapſe & unum Deum, & tres perſonas diſtinctas eſſe prædocuit. quamvis igitur illo in Dialogo ſcriptum eſſet, quod hic *non docendo*, ſed certando, & quærendo dixiſſet, *Patrem*, & *Filium cogitatione duo* & *hypoſtaſi unum* eſſe: tamen hæc verba *librariorum erratis* Baſilius attribuit. Non ergo Gregorius iis vocibus, quas Sabellius adhibuerat, uſus, illas velut regulas habuit; ſed *Traditionis* norma Sabellii *malum*, atque adeo errantes *voces extinxit*. Hac *traditione* Irenæus multo ante laudatus adverſus Valentinianos, qui 32. Deos invehebant, aſſeruit, unum eſſe Deum *omnia continentem*: qua doctrina ille eorum verba, & hæreſes depulit.

Legant Cornelius Muſſo, & Dallæus S. Auguſtini libros, quos is vel de Hæreſibus, vel contra Maximinum Arianum, vel contra Julianum perſcripſit; in quibus dum Sabellium, vel Pelagium retundit, aut Ario, aut Manichæis nullo pacto ſavere videtur: immo S. Doctor non ſolum iſtos, alioſque Hæreticos æque explodit & clare; verum etiam Manichæiſmi crimen, quod in eum Julianus, & Dallæus inique coniiciunt, expreſſe refellit.

Jam illud nihil negotii eſt; ſed etiam majora molior. Quomodo? quia cum Dallæus legitimis Patrum operibus ſuam errantem opinionem firmare non poſſit; quædam voluminna Patribus ſuppoſita affert; quæ quoniam & legitimi quidpiam non habent, &, ut alibi vidimus, ipſe Cenſor eliminat: ideo is iiſdem fictitiis operibus nihil probat; atque adeo operam ludit, ac perdit.

At ſpectandus eſt tractatus quidam S. Athanaſio Alexandrino Epiſcopo adſcitus; in quo auctor prius agit de diſtinctione duarum naturarum, Divinæ ſcilicet & Humanæ, in Chriſto, ac poſtea de earumdem naturarum unione ſecundum hypoſtaſim. Non ergo priori in capite ad Neſtorii placita deflectere videtur, quia tertio in capite iſtam unionem adſtruere nititur: neque enim ex uno loco, ſed ex pluribus cujuſpiam ſcriptoris ſenſus oſtenditur. Verum tractatum illum de manibus deponamus; qui & a ſtylo S. Athanaſii maxime diſtat; & *varias* continet *definitiones*, ut ipſe Tractatus inſcribitur, *collectas a Clemente, & aliis ſactis viris*; & in definitione actus adlegat S. Gregorium Nyſſenum; cujus opera poſt S. Athanaſii obitum edita ſunt in lucem, S. Hieronymo ſignificante; qui S. (*a*) Athanaſium *ſub Valente* mortuum eſſe, & S. Gregorium Nyſſenum ſub *Theodoſio* ſcripſiſſe, indigitavit. Ergo idem tractatus ipſi Athanaſio ſuppoſitus eſt, tum propter inſcriptionem, quæ vel Clementi perperam illud opus attribuit, tum propter magnam ſtyli diſtantiam, quæ eſt inter genuina S. Athanaſii volumina, illumque tractatum: denique propter tempus, quod jam obſervatum ab eodem tractatu legitima S. Athanaſii opera excludit. Quare ſi in priore ipſius ficti tra-

(*a*) *S. Hier. in catal. vir. ill. cap.* 58. & *cap.* 128. & *Epiſt.* 47. *ad Deſid.*

tractatus capite quædam minus ſana dicta inveniuntur, quæ tamen ex aliis capitibus recte explicari queunt: certe in legitimis S. Athanaſii ſcriptis non modo hujuſmodi locutiones non extant; verum etiam in hiſce omnis enuntiatio recta, omnis oratio orthodoxa, omniſque doctrina ſibi prorſus conſona elucet: Cur igitur tractatum illum utpote commentitium arcendum, & genuinos S. Athanaſii libros legendos, & adlegandos Dallæus non putavit! Dicam ea, quæ mihi ſunt in promptu; quod cenſor iſtos libros hic ideo prætermiſit, quia iidem ipſi & catholica dogmata adſtruunt, & in claro, conformique docendi genere excellunt; & adeo refutant errantia Dallæi dicta, ac maledicendi licentiam.

Atque etiam Epiſtola, quæ ad Dionyſium ſcripta fertur, S. Julio Romano Pontifici, qui quarto ſæculo claruit, ſuppoſita inde monſtratur, quod (*a*) Valentinus primarius Apollinaris auditor, eoque ſæculo quarto cadente notus, multo ante Gennadium, qui labente ſæculo quinto ſcribebat eidem Apollinari illam Epiſtolam tribuit, dum iſtam vocem prout ab ipſo *Apollinari* prolatam, quæ ejuſdem Epiſtolæ initium eſt, elicuit hoc pacto: „ admiror, „ cum de quibuſdam audio, confi- „ teri quidem Deum in carne; la- „ bi autem errore in diviſione pra- „ ve a Pauliniſtis introducta. „ Cum autem Gennadius de legitimis, certiſque ipſius Julii (*b*) Litteris minime egerit, quoniam duas germanas ejuſdem Julii Epiſtolas Athanaſio relatas ſilentio præteriit: hinc Epiſtolam ad Dionyſium uti genuinam Julii prolem amplecti non videtur, minus tamen diligenter inſpecta falſitate ejuſdem Epiſtolæ: cujus enuntiata non Julio, ſed Apollinari Valentinus ipſo Gennadio antiquior adſcripſit; ob quod & (*c*) Hypatius Epheſiorum Epiſcopus ſexti ſæculi initiis florens, ideoque Gennadio non recentior, ſed ei ferme coævus, & (*d*) Leontius Byzantinus eodem ſeculo illuſtris, & (*e*) Facundus Hermianenſis, Eulogius Alexandrinus Præſul, ac (*f*) Photius notarunt, illam Epiſtolam Julio ſuppoſitam eſſe, atque ſuſpectam: quorum plurium veterum conſenſio unius Gennadii. Negligentiæ contraria eam ſuppoſitionem ex traditis Criticæ præceptis oſtendit. Non igitur Julius, uti Dallæus blaterat; ſe Apollinaris *Eutychianam impietatem* illa *pernitioſa* Epiſtola invexit; cujus quidem initium, quo & *Deum in carne*. Unamve Divinam Chriſti perſonam fatebatur, & naturarum, Divinæ ſcilicet atque Humanæ in Chriſto *diviſionem* a Paulianiſtis introductam exagitabat, *utile* viſum fuit: ſed tamen in ipſius Epiſtolæ ſubſequentibus earum naturarum confuſionem, ac mutationem fraude molitus, oppoſitum Eutychianorum errorem genuit, ac proinde Gennadius deceptus ea conſequentia Julio perperam tribuit; quia Valentinus multo ante ipſum Gennadium illa præcedentia ab Apollinari producta fuiſſe affirmavit; quam ob affirmationem veteres Critici laudati, & recentiores eandem Epiſtolam Julii

(a) *Valent. apud Leont. lib. de Sectis Haret. act. VIII.*

(b) *Gennad. in lib. de vir. ill. cap. 2. pag. 914. T. 2 oper. S. Hier.*

(c) *Hyp. in cit. collat. Conſtant.*

(d) *Leont ibi*

(e) *Fac. lib. 3. c. 2.*

[f] *Phot. cod. 320.*

lii eſſe merito negant, (*a*) Dallæo conſentiente, qui in ſuperioribus ait, quod & „ Eutychiani Apollinaris libros Doctoribus Orthodoxis falſo „ adſcripſerint; & Gregorii Neocæſarienſis, Julii Epiſcopi Romani, „ atque Athanaſii nominibus abuſi „ fuerint. „ Abuſus ergo cenſor Julii nomine, ei Apollinaris Epiſtolam, errorem, & contradictionem temere appinxit.

Hic igitur eſt ille Dallæus, qui illam Epiſtolam Julii eſſe modo negat, modo affirmat adverſus Dialecticæ leges, ſicque velut ſocors navis rector in ſaxa incidit; quibus Patres non impegerunt, qui ſine contradictione Sabellium, Paulum Samoſatenſem, Arium, Pelagium, Neſtorium, Eutychem, alioſque Hæreticos, antequam orirentur, traditione exploſerunt, ut & S. Irenæi Valentinianos, a Marcionitas exagitantis, & S. Cypriani ſententiis Pelagium S. Auguſtinus deterruit, oſtendens, priorum Patrum auctoritatibus, quæ Valentinianos, Manichæos, Apollinariſtas, alioſque nebulones exterminant, poſteriores, ac recentes hæreſes abiici.

At Dallæus neque in prophanis, neque in Eccleſiaſticis ſcriptoribus lucem reſpexit, dum ob quorumdam nominum ſignificationem recens mutatam aſſeruit, etiam res, ad quas iſti alludunt, quaſque docent, immutatas eſſe, & difficulter intelligi.

Hoc falſum eo monſtratur, quia Imperatoris nomen, quo & olim exercitus Dux notabatur, & nunc ſummus in Romano Imperio Princeps ſignatur, non fecit, ut vel diſtincta utriuſque jura mutarentur, vel res a priſcis ſcriptoribus narratæ haud caperentur. Sic ergo Papæ nomen particularibus Epiſcopis antiquitus, nunc autem ſoli R. Præſuli datum, non efficit, ut is ſummus Pontifex, cui omnes Epiſcopi ſubduntur, ſupremum jus in Eccleſia univerſa non teneat utque minime intelligatur: præcipue quod in Romano Epiſcopo ſummam Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe, antiquis (*b*) Patribus docentibus ſemper Eccleſia Apoſtolica tradidit; quæ etiam ob id ipſum non cuilibet particulari Epiſcopo, ſed Romano olim, nunc & perpetuo tribuit *Pontificis Maximi* nomen. Non igitur ex eo, quod vulgus nominis Papæ ſignificationem verterit, ſequitur, ut Pontificis maximi, ejuſque ſupremæ poteſtatis nomen, ac ſignificatio verſa ſint alium in ſenſum, & Eccleſiæ facies mutata ſit atque doctrina: quandoquidem ipſa Eccleſia orthodoxa non modo iſtud alterum nomen ampliſſimum ſemper magni fecit; verum etiam ſummum jus R. Pontifici maximo a Chriſto datum, illumque eo nomine ſignatum fuiſſe, & univerſis Eccleſiæ membris ut viſibile caput præeſſe, credidit, tradente (*c*.) Concilio Conſtantinopolitano I. Œcumenico.

Præterea Patriarchæ nomen, quo Epiſcopus cuidam nationi præpoſitus clare notatur ſecundum antiquiora generalia Concilia.

Mitto etiam Proceſſionis vocabulum, cujus ſignificatio ex (*d*) S. Auguſtino apparet, qui liquido narrat, Chriſtianorum multitudinem devote progreſſam fuiſſe; quæ partim anteibat, partim ſequebatur Præjectum

 Epiſ-

(a) *Dall. lib. 1. de uſu Patr. cap. 1. pag. 13. relatus in Diſſ. 2. §. 3.*

[b] *S. Iren. lib. 2. adv. hæ. c. 1. Tertul. lib. de preſ. & de pud.*

(c) *Conſt. Conc. 1. in Ep. cit.*

(d) *S. Aug. lib. 22. de civ. Dei cap. 8.*

Epiſcopum, a quo S. Stephani Martyris reliquiæ afferebantur: quo ſenſu nunc Proceſſiones ſumuntur.

Admiror autem cenſorem, qui errore raptus contendit, baptiſmi, & Euchariſtiæ Myſteria, ac cæremonias, & clericorum ordinationis ritus, ac ſacra omnia deſoſſa eſſe: tum Confeſſionem, miſſam, meritum, indulgentiam, aliaque nomina, quæ veteres ipſi notarunt, ſenſu non minus alieno, quam eorum ætas a noſtra diſtat, nunc accipi: tum denique Pænitentiæ canones eſſe immutatos.

Reminiſcere, quoniam es initiatus, quæ ſacris baptiſmatis Myſteriis tradantur: quippe cujus formam a Sanctis Evangeliis, & Patribus traditam ipſi Hæretici aut Calviniſtæ, aut Lutherani neque extinxerint, neque acceperint ſenſu a Patrum documentis alieno; quorum ſenſa omnia ſemper Eccleſia Catholica tenuit: quæ proinde ſicut baptiſmi, ita reliquorum Sacramentorum, quorum tamen fidem iidem Heterodoxi non ſervant, Myſteria, cæremonias, ac ſenſa, quæ antiqui Patres oſtenderunt, non depoſuit, non mutavit, non abſtulit.

Et profecto confeſſionem ſacramentalem (*a*) Tertullianus docuit, reprobando eos, *qui confiteri peccata nolunt* utique Sacerdoti; quæ *confitendi peccati* ſignificatio in Pænitentiæ, & Confeſſionis ſacramento cujus religione fideles obſtringuntur, elucet. Elucet quoque in miſſæ vocabulo (*b*) *Corporis* & *Sanguinis* Chriſti oblatio, quam (*c*) S. Gregorius Magnus explicuit. Quid de Euchariſtici Sacrificii & ſacræ ordinationis ritibus diſſeram? Horum quidem ſubſtantiam haud variam, ſed quaſdam diſſimiles circumſtantias a Latinis, & Græcis Patribus acceptas Orthodoxi non mutant; qui etiam ſtationes a (*d*) Tertulliano appellatas, & a (*e*) S. Iſidoro Hiſpalenſi explicatas ſtatutis diebus obſervant, in Sanctorum Sepulchris ſtantes, atque præcantes. Quid de ſuperna Dei gratia, de merito, ac ſatisfactione loquar? Horum ſignificationem, & ſenſum a S. Auguſtino contra Pelagianos monſtratum errantes quidam pervertunt, at Catholici tenent. Quid tandem de indulgentiis dicam? Harum tribuendarum poteſtatem in Eccleſia eſſe, Fidei haud mutabilis dogma eſt a S. (*f*) Cypriano, ac pluribus Patribus traditum, qui tamen cenſuerunt temperandos ſeveros Pænitentiæ Canones, qui pænas aliquas temporales pro gravioribus peccatis ſubeundas ſtatuebant, quique proinde ad mutabilem diſciplinam ſpectabant; in qua exinde permanſit Eccleſia quæ earum pænarum temperationem, quam indulgentia ſignificat, fecit. Quare admiratus es cenſoris impudentiam, qui & baptiſmi Myſteria, & ſacra omnia, quæ veteres tradiderunt, modo deſoſſa eſſe, maximo effutiit errore. Cum itaque ſacrorum rituum ſubſtantiæ, ſacramentorum inſtituta, & ſignificationes, ac reliqua fidei dogmata, horumque ſenſa, quæ Patres græcis, & latinis litteris illuſtrarunt, nec mutata ſint, neque aliter, quam olim, nunc accipiantur: facile eſt, veterum opera, ſententias, ac doctrinam percipere.

[a] *Tertul. de pænit. cap. 2.*
(b) *S. Greg. m. lib. IV. Dial. paſſim. & lib. II. indic. 4. epiſ. 64.*
(c) Miſſa etiam ſacrificium incruentum a S. Gregorio vocatur.
(d) *Tertul. lib. de jejun.*
(e) *S. Iſid. lib. 6. Orig.*
(f) *Lege S. Cypriani Epiſtolas de lapſis.*

DISSERTATIO VI.

DE

PROBANDORUM DOGMATUM MEDIO.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

DE PROBANDORUM DOGMATUM MEDIO.

CUm Sacræ, & Criticæ Theologiæ ſtudium longe cæteris & ſtudiis, & artibus antecellat; ipſaque græcis, ac latinis veterum litteris explicetur; atque adeo ejus res, quas ipſi Patres monumentis mandarunt, ſine græca, & latina eruditione intelligi nequeant: exiſtimo, ſi qui illius ſtudio teneantur, ac ſint Orthodoxis Eccleſiaſticorum Scriptorum doctrinis eruditi, noſtra, quæ partim edidimus, partim in lucem proferremus, benigne lecturos: ſin a Criticis diſciplinis abhorreant, ne hæc quidem curaturos; quæ tamen maximam curam eo deſiderant, quod germanos Patrum libros evolvi dictitent, in quibus Catholicæ plurium eorum doctrinæ conſenſus continetur, quem Orthodoxorum dogmatum evincendorum eſſe, Theologi clare proponunt. Et quoniam in ea Fidei doctrina adhibenda apud vetuſtos Eccleſiæ Doctores ſumma fuit obſervatio: idcirco prius, quam medium iſtud ponamus, plura adnotanda ſunt ac præmonenda.

§. I.

Quædam veterum Animadverſiones excitantur ad arcenda Dallæi Commenta.

VIdeo, in Patrum Sermonibus inſignes doctrinarum notas ineſſe, quibus aliquæ Dallæi rationes, quæ extra ordinem jacent, expungantur; qua de re conſtituendum eſt hic de orthodoxis dogmatibus, quæ veteres tradiderunt, quæve Eccleſia definirit, generatim agi debere.

Obſervo quoque, inter Eccleſiaſticos auctores, qui aut Philoſophorum Ethnicorum, aut Hæreticorum errores plane coarguerunt, atque etiam ſacras litteras, ac Traditionem pertractarunt, tria differendi genera eſſe: unum rerum, quæ ad fidem vere, & expreſſe ſpectabant: alterum eorum, quæ citra jacturam pietatis non ab imperitis modo, verum etiam a doctis, ut (*a*) Cano advertit, ignorari potuerunt; quippe quæ per ſe quidem ad Doctrinam Catholicam

[a] *Can. de loc. Theol. lib. 7. Can. 2.*

attinebant ut ab Apoſtolis tradita; ſed ab Eccleſia nondum definita fuerant; ante cujus definitionem facile diſcerni non poterant; ideoque in quæſtionem ignaviter vertebantur; veluti Cypriani tempore fuit diſputatio de rebaptizandis Hæreticis; quam quæſtionem cum poſtea Eccleſia Traditione diſſolverit, jam ejus decretum, quo Hæreticos non rebaptizandos explicavit, atque definiit, in dubio eſſe non poteſt. Quapropter id omne, quod in hocce poſteriori genere contineri Theologi docent, & ad univerſa, quorum initium poſuimus, & ad res prioris generis propemodum revocatur, utpote quod ea comprehendat, quæ etiamſi poſt illud tempus definita fuerint: nihilominus ab Apoſtolis tradita demonſtrantur. Tertium vero genus S. Auguſtinus declaravit adverſus Pelagium, qui ut hæreſeos invidiam declinaret; quæſtionem de peccato Originali præter Fidei periculum eſſe contendebat; cujus errorem Auguſtinus ſic eripuit, ,, (a) Sed mul-
,, tum eum iſta fallit opinio, lon-
,, ge aliter ſe habent quæſtiones iſtæ,
,, quas eſſe præter fidem arbitratur,
,, quam ſunt illæ, in quibus ſalva
,, fide, qua Chriſtiani ſumus, aut
,, ignoratur quid verum ſit, & ſen-
,, tentia definitiva ſuſpenditur; aut
,, aliter, quam eſt, humana, & in-
,, firma ſuſpicione coniicitur. Velu-
,, ti cum quæritur, qualis, aut ubi
,, ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus
,, hominem, quem formavit ex pul-
,, vere; cum tamen eſſe, illum Pa-
,, radiſum Fides Chriſtiana non du-
,, bitet; vel cum quæritur, ubi ſit
,, nunc Elias, vel Enoch, an ibi,
,, alicubi, alibi, quos tamen non du-
,, bitamus, in quibus nati ſunt cor-
,, poribus, vivere ... Quis enim
,, non ſentiat, in his, atque hujuſ-
,, modi variis, & innumerabilibus
,, quæſtionibus, ſive ad obſcuriſſi-
,, ma opera Dei, ſive ad ſcriptura-
,, rum abditiſſimas latebras pertinen-
,, tibus, quas certo aliquo genere
,, complecti, ac definire difficile eſt,
,, & multa ignorari ſalva Chriſtia-
,, na fide, & alicubi errari ſine ali-
,, quo hæretici dogmatis crimine.
,, Sed in cauſa duorum hominum,
,, quorum per unum venumdati ſu-
,, mus ſub peccato, per alterum re-
,, dimimur a peccatis; per unum
,, præcipitati ſumus in mortem; per
,, alterum liberamur ad vitam: quo-
,, rum ille nos in ſe perdidit facien-
,, do voluntatem ſuam, non ejus,
,, a quo factus eſt, iſte nos in ſe
,, ſalvos fecit, non faciendo volon-
,, tatem ſuam, ſed ejus, a quo miſ-
,, ſus eſt; in horum ergo duorum
,, hominum cauſa proprie Fides Chri-
,, ſtiana conſiſtit, ,, Unus eſt enim
Deus ,, & unus mediator Dei, (b) & hominum homo Chriſtus Jeſus. Quoniam non eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri ... *Itaque ſine iſta Fide, hoc eſt, ſine fide unius mediatoris Dei, & hominum hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam, Reſurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine incarnatione ejus, ac morte, non poteſt veraciter credi; ſine fide ergo incarnationis, & mortis, & reſur-*

re-

(a) S. *Aug. de pecc. Orig. cap.* 23. *pag.* 264. 7.

(b) 1. *Tim.* 2.

rectionis Chriſti nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat, ſive in eis juſtis, quos Sancta Scriptura commemorat, ſive in eis juſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vel ante diluvium, vel inde uſque ad legem datam, vel ipſius legis tempore, non ſolum in Filiis Iſrael, ſicut fuerunt Prophetæ, ſed etiam extra eundem populum, ſicut fuit Job, & ipſorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis caritas per Spiritum Sanctum, qui ubi vult ſpirat, non merita ſequens, ſed etiam ipſa merita faciens: non enim Dei gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo .... Hæc diſputantes a gratia Mediatoris juſtos excludere conantur antiquos. Ab hiſce igitur diſputationibus, quibus Pelagiani Originale peccatum, ac ſupernam Dei gratiam non modo in dubium periculoſe vocabant, verum etiam excludere hæreſi conabantur, illas quæſtiones, quæ *ſalva fide* exercentur, Auguſtinus diſtinxit.

Is quoque, contra eandem hæreſim adductis Patrum ſententiis ea, quæ præmonuimus, confirmavit; dum Juliano quædam S. Joannis Chryſoſtomi dicta, quæ depravata fuiſſe antea vidimus, objicienti ita reſpondit: *Verba Sancti (a) Joannis Epiſcopi audes tanquam e contrario tot, taliumque ſententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſejungere, & eis adverſarium conſtituere. Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere: abſit, inquam, ut Conſtantinopolitanus Joannes de baptiſmate parvulorum, eorumque a paterno Chirographo liberatione per Chriſtum, tot, ac tantis coepiſcopis ſuis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi Regulæ Catholicæ Defenſores, ſalva Fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipſa Fidei pertinet fundamenta:*

Hæc S. Auguſtini ſcriptura diligentiſſime eo obſervanda eſt, quod cum Fidei dogmata ex Patribus evincenda hic univerſim tractemus; Dallæus ut hoſce ab ea re, ſive ab ipſorum dogmatum probatione, excludat, errore captus aſſeverat, *Patres in iiſdem (b) Fidei capitibus non ſemper perſtitiſſe, ſed e quibuſdam ſuis ſententiis nonnunquam diſceſſiſſe, prout exercitatione, vel ætate eorum maturuerat judicium. En omnibus auctoribus Eccleſiaſticis ſoli veteris, & Novi Teſtamenti ſcriptores rerum Divinarum notitiam afflatu cæleſti ſunt conſecuti: reliqui inſtitutione, lectione, meditatione eam adepti ſunt. Hæc ſcientia iis per gradus crevit, paulatimque, prout ætate provehebantur, incrementa accepit, unde fit, ut ſcripta eorum ejuſdem vel ponderis, vel pretii non ſint omnia, quis enim non videt ea, quæ inter adoleſcentiæ oblectamenta effuderunt, longe minoris eſſe momenti, quam ea, quæ ætate maturiore ſcripſerunt? Quis e. g.*

Diſſert. VI. O *Epi-*

(a) S. *Aug. lib.* 2. *cont. Jul. cap.* VI. *pag.* 310 *Tom.* 2.

[b] *Dall. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 165. & *ſeq.*

Epiſtolam illam, quam Hieronymus, dum eſſet adoleſcens calentibus adhuc Rhetorum ſtudiis, atque doctrinis, ad Heliodorum luſit, cum graviſſimis ſcriptis, quæ cano capite, maturo ingenio, conſumatiſque ſtudiis Eccleſiæ dedit, non conferat? Patres in veritatis cognitione cum ætate, ſtudiiſque profeciſſe, docuit Auguſtinus, cum quæcumqe ſcripſerat, in ſenectute excuſſit, in iiſque bona fide notavit, quicquid animadverſione dignum eſt. Refert (a) Hieronymus, Origenem longo ante tempore, in ſenectute ſua Epiſtolam ſcripſiſſe ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum, in qua teſtabatur, pœnitere ſe multorum, quæ ſcripſerat. Nec dubitandum eſt, quin ſimile quid pleriſque Patribus acciderit, ut quæ pro veris aliquando tradiderint, ea poſtea improbaverint. Ex hac autem obſervatione patet, ſi ex eorum ſententia pugnare nobis animus eſt, neceſſarium eſſe, ut conſtet, non ſolum quod in ea fuerint, ſed etiam quod in ea ad mortem uſque perſeverarint, unde (b) Vincentius Lirinenſis in loco de Veterum ſententiis ad controverſias decidendas adhibendis vult, ut ea tantum rata, & fixa habeamus, quæ ipſi conſtanter docuerint, *& in quibus* permanſerint. *Si omnes aut potuiſſent, aut voluiſſent Auguſtini modeſtiam imitari; minus laboris nobis incumberet; cum apud ipſum hæc legamus* „ (c) *non elegit Deus ope-*
„ *ra* cujuſquam in *præſcientia, quæ*
„ *ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit*
„ *in præſcientia, ut quem ſibi credi-*
„ *turum* eſſe *præſcivit; ipſum elege-*
„ *rit, cui ſpiritum ſanctum daret,*
„ *ut bona operando etiam vitam æter-*
„ *nam* " *conſequeretur*. „ Pelagia-
„ nis, & Semipelagianis eſſent iſta
„ argumento, Auguſtinum cum ipſis
„ ſenſiſſe: ſed ex ejus retractatio-
„ nibus, aliiſque operibus diſcimus,
„ magnum iſtum virum poſtea aliter
„ judicaſſe. „ *Nondum*, inquit, *diligentius quæſiveram* ... (d) *qualis ſit electio gratiæ, de qua dicit Apoſtolus*, reliquiæ per Electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt; *quæ utique non eſt gratia, ſi eam merita ulla præcedant, ne iam quod datur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum reddatur potius meritis, quam donetur*.
„ Quis ſcit, num e Patribus, quo-
„ rum ſententias adhibemus, aliquis
„ non retractarit ea, quæ hodie in
„ operibus eorum legimus? & annon,
„ errore ſuperſtite, pœnitentiæ mo-
„ numenta tempus e medio ſuſtule-
„ rit? Cum ergo plerumque de hujuſ-
„ modi rebus neque ex hiſtoria, ne-
„ que ex Auctorum ſcriptis judicium
„ firmum ferre liceat, prætereaque
„ certa, & indubitata non ſint, quæ
„ apud ſcriptores ipſos occurrunt:
„ concludimus, difficillimum eſſe,
„ certo, & ſingillatim ſtatuere, quid
„ ſuper controverſiis, quæ hodie
„ agitantur, veteres ſenſerint. „

Quid vero? illa clariſſima Fidei Orthodoxæ cauſa adverſus Pelagianos quibus Patrum teſtificationibus defenſa eſt? certe contra illos Hæreticos S. Auguſtinus omnium & diſ„ ciplina juris doctrinæ Catholicæ eruditiſſimus, & ingenio, prudentiaque acutiſſimus: ex ſcripto plerorumque Sanctorum Patrum recenſitorum, qui *concordiſſimam* Fidei *ſocietatem* conſervarant, in eaque objerant, peccatum

(a) *Hyer. Ep. 65.*
(b) *Vinc. Lir. in Com. c. 59.*
(c) *S. Auguſt. in Expoſ. Epiſt. ad Rom.*
(d) *idem lib. 1. Retr. c. 23.*

tum originale, ac ſupernæ Dei gratiæ jura defendit: ſimulque *Regulam Catholicam*, in qua Fidei dogmata expreſſa habebantur, diſtinxit ab *aliis* eorum ſententiis, *in quibus aliquando non conſonant, ſalva Fidei compage; & alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius*: in qua Auguſtini formula ſi cenſor verſatus fuiſſet, errando non affirmaſſet, illos Patres in Fidei capitibus non perſtitiſſe. Etſi enim ipſorum aliqui ſuas enuntiationes aliquando melius explicarunt, vel nonnullas ſuas ſententias probabiles immutarunt, re maturius perpenſa, nihilominus iidem ſancti *Fidei compagem ſalvam* voluerunt; atque adeo in *Fide*, ejuſque capitibus permanſerunt, morte etiam affecti.

Quare quod in hujuſce operis initio poſuimus, ac declaravimus: id quoque nunc adducendum putamus: nimirum a Sanctis Eccleſiæ Patribus diſtinguimus illos ſcriptores antiquos, qui quidem nonnulla opera orthodoxa, dum erant Catholici, extruxerunt: ſed poſtea in hæreſes lapſi, contra expreſſa prioris generis dogmata, quæ expoſuimus, literis maxime erroneis fruſtra pugnarunt: quorum Magnos ac formales errores illi iidem ſancti Eccleſiæ catholicæ Patres depulerunt.

Jam vero non ſolum Prophetæ, verum etiam ſancti Apoſtoli, quos ſingillatim appellamus, afflatu cæleſti Divinam utriuſque Teſtamenti ſcripturam condiderunt; quibus tamen, & præcipue poſterioribus ætate, & ſapientia proficientibus, Chriſtus non unico momento, ſed gradatim omnia, præſertim quæ ad Eccleſiæ fidem pertinent, revelavit, ſicuti Divinum teſtatur Evangelium; in quo etiam adverſus hæreſes idem Dominus ſe Eccleſiæ ſuæ ſemper adſtiturum promiſit; cujus alumni veteres ſancti Eccleſiaſtici auctores, Divina Fidei Catholicæ inſtitutione, exercitatione, ætate, ac ſapientia progreſſum facientes; ea fidei dogmata, quæ in Apoſtolica Eccleſia didicerant, in adoleſcentia, & poſt iſtam ſcripto mandarunt; quorum dogmatum vis in utriuſque ætatis ipſorum operibus una atque eadem eſt; utpote quam denuntiet, ac ſignificet una ipſius Eccleſiæ fides; quæ nunquam mutata fuit, nunquam defecit, nunquam crevit; ſed magis, magiſque a Patribus enucleata eſt & oſtenſa; qui proinde Adoleſcentes monſtrandorum dogmatum ſcientiam conſecuti, eaque deinde aucti, volumina in adoleſcentiæ, & maturæ ætatis temporibus ita compoſuerunt, ut omnia aut ad *regulam Catholicam* directa, aut hujus quidpiam enucleatius habentia, ejuſdem pretii, ac ponderis eſſent; tametſi aliis de rebus Patres ætate firma aliquid melius dixerunt & verius: qui non ætate, ſed Dei gratia & ingenio ſapientiam adepti; & Orthodoxæ Fidei doctrina inſtituti, hanc non inter adoleſcentiæ oblectamenta, uti Dallæus temere loquitur, effuderunt; ſed id ſcripſere, quod, ut (*a*) S. Auguſtinus prædocuit *in Chriſti Eccleſia ſuorum rudimentorum tempore didicerunt*, & *Chriſti Eccleſiam ſuorum bonorum tempore docuerunt*. Quæ igitur ſancti Patres ſuorum *rudimentorum* tempore in *Chriſti Eccleſia* didicerunt: illa iſtam *ſuorum bonorum tempore*, quo ſcili-

(a) *S. Aug. libr. 1. contra Jul. c. 3. relatus in Diſſ.* §. 1.

cet vel adoleſcentes Diaconi, ac Preſbyteri conſtituebantur, vel adulti Epiſcopi conſecrabantur *docuerunt*, nullaque adoleſcentiæ oblectatione quæſita, ſed adhibitis *Eccleſiæ* doctrinis eadem ſcriptis celebrarunt. Si quæ ergo dogmata adoleſcentes ſcripſerunt ea longe minoris momenti, ſive auctoritatis non ſunt, quam illa, quæ vel adulti, vel ſenes litteris illuſtrarunt: quoniam utraque ad *Chriſti Eccleſiam*, atque adeo ad fidem Catholicam pertinent. Unde ſecundum Auguſtinum Sanctorum Patrum ætas, non Fides diſtinguitur; quia iſta & in illorum adoleſcentiæ initiis, quibus Fidei *rudimenta*, documentaque capiebant, & in plena eorum adoleſcentia, in qua ad Eccleſiaſticos honores primum perducti Eccleſiam docebant, & ſequentibus etatis confirmatæ temporibus, una fuit, atque eadem manſit: quam fidem Catholicam S. Hieronymus cum puer, tum adoleſcens, tum adultus, tum etiam ſenex, uti omnibus conſtat, ſemper ſervavit, ac tradidit; ex quo Dallæus exemplum perperam capit. Quandoquidem S. Doctor etiamſi ſecundum aliquos recentiores anno 339. vel 345. natus dicatur: certe anno 373. adeoque in plena adoleſcentia ſua, quæ ad ſummam laudem omnibus rebus ornata erat, priores litteras ad Heliodorum ſcripſit de recta vita illorum eremitarum, qui poſt eam cæleſti gloria præſtant, (*a*) ac *rogant* pro nobis: atque etiam S. Doctor maxime adultus circa annum 396. eidem Heliodoro Nepotiani avunculo ob ejus mortem aliis litteris conſolationem adhibuit; miſſiſque Rhetorum præceptis, quæ hi ad illam afferendam dabant, oſtendit, mortem, utpote a Chriſto devictam, timendam non eſſe. Age vero, hiſce omnibus obſervatis, ut in pueritia, in primaque adoleſcentia fidem Orthodoxam colere, ac retinere Hieronymus diſceret, atque ea, quæ in plena adoleſcentia compoſuit, cum iis, quæ vel excellentiori abundans ingenio, vel in ſenectute florens ſcripſit, conferret: qui tandem fieri potuit, niſi illa, quæ *in Chriſti Eccleſia* invenerat, & didicerat, quæque maximam vim Fidei Catholicæ propter vetuſtatem Apoſtolicam obtinebant, aut adultus, aut ſenex perſuadere potuiſſet? profecto nemo aliter, quam eo modo, profecit in Catholicæ veritatis ſtudiis, nemo aliter graviſſima Fidei dogmata comprobavit, nemo aliter *Chriſti Eccleſiam docuit*, Auguſtino tradente; cujus documento adverſus Dallæum ſtatuimus.

Quocirca illis in ſtudiis Sancti Patres profecerunt, ſervando, atque docendo unam fidem Catholicam; quam S. Auguſtinus amplexus, ac firmiter retinens, in Retractationum quidem libris plura, quæ antea conſcripſerat, magis explicuit; quam omnino retudit: ſed unum, de quo infra dicemus, repudiavit, quod tamen ad res in poſteriori genere adducto contentas ideo pertinebat, quid id *nondum*, inquit (*b*) S. Doctor, *diligentius quæſieram*, *nec adhuc inveneram*: illud ergo ut *nondum quæſitum*, *nec adhuc inventum* certe non aſſerebatur ab eo, qui proinde illam Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Romanos

(*a*) *S. Hier. Ep.* 24. *ad Hel. & Epiſt.* 60. T. 1.

[*b*] *S. Aug. lib.* 1. *Retr. c.* 23. T. 1.

nos explanationem moverat citra ſuæ pietatis jacturam & Fidei; a qua tamen deſcivit Origenes, cum in libris Periarchon præter alia veram mortuorum reſurrectionem, quæ ab Eccleſiæ initio expreſſe credita, univerſiſque Fidelibus explorata fuit, hæreſi formali negaverint; cujus, & cæterarum hæreſum inibi poſitarum, uti prædiximus, eum pænituit; ſicut ipſe propemodum ſenex, contra quam Dallæus putat, in Epiſtola ad Fabianum, qui anno 238. ſummum Pontificatum adeptus fuerat, declaravit Non igitur plerique ſancti Patres, ſed Origenes, ac vel Tertullianus in formales errores Fidei Catholicæ expreſſim oppoſitos, poſtquam hi multa recte ſcripſerant, inciderunt.

Et vero Dallæi falſitates, atque errores idem S. Auguſtinus coarguit; dum contra Julianum allatis complurium Sanctorum Patrum qui primis quatuor ſæculis floruerant, teſtificationibus, quas primum produximus, (*a*) hæc illi Hæretico objecit: *Diſſimula ab iſtis, finge te neſcire quid* (*b*) *dixerint, & ſanctæ Eccleſia tot, tantiſque Doctoribus, qui vita optime geſta, debellatiſque ſuorum temporum erroribus, glorioſiſſime de ſeculo, antequam vos ebulliretis, exierunt ..., inſulta ſed qua confidentia id dicere audebis homo, qui dicis, Manichæum eſſe ſenſum confiteri, ex Adam trahere naſcentes originale peccatum, quod iſti confeſſi, atque profeſſi ſunt.*

Non ignoras modo, quæ, & quanta ſit Dallæi ſubtilitas arguit, errat, falſus eſt. Nam relata S. Auguſtini retractatione, ac præſertim Origenis erroribus, & pœnitentia exibitis ; ait, „ nec dubitandum, quin ſimi„ le quid pleriſque Patribus accide„ rint. „ Quid in hoc errorum genere Auguſtinum cogitaſſe arbitremur? ipſe teſtatus eſt, pleroſque *Doctores* Sanctos, quos eo loci ſingillatim recenſuit, *debellatis ſuorum temporum erroribus exiiſſe de ſæculo.* Non igitur pleriſque illis Patribus id accidit, ut in errores quos verterant, laberentur, utque ſic retractandi occaſionem, quam Dallæus falſo urget, haberent ; qui proinde *doctiſſimi*, atque *optimi Catholicæ regulæ defenſores*, & peccati originalis extantiam, & reliqua omnia dogmata *Catholica*, quæ ut vera ſuis in operibus liquido tradunt, nunquam, uti Dallæus de pleriſque veteribus falſiſſime ſumit, improbarunt, ſed in eorum *Fide* ſemper ſteterunt, excepto Origene, qui in principiorum libris non vera, ſicut a Dallæo falſe ſupponitur, tradidit; ſed in illis enuntiationes, quas falſiſſimas, & hæreticas Eccleſia Apoſtolica noſcebat, expoſuit: ideoque iſtas ille pœnitens retractavit.

Jam vero ex adductis Magni Auguſtini obſervationibus, quæ cenſorem fugerunt, ſatis liquet, pleroſque Sanctos Patres, quoniam hi *vita optime geſta*, ac *debellatis ſuorum temporum erroribus glorioſiſſime exierunt de ſæculo*, in *Catholicæ regulæ*, ſeu Fidei ſententiis, quas contra *errores* clare pronuntiarunt, uſque ad illum ſuum *exitum* perſeveraſſe: atque adeo ipſorum auctoritates ad revincendos Hæreticos valuiſſe; ac ſic a nobis eas adhibendas eſſe, & amplificandas: quoniam in Catholicorum dogmatum rationibus bene conſideratis, & adver-

(a) *Diſſ.* 1. §. 1.

(b) *S. Aug. lib.* 1. *contr. Jul. cap.*

verſus *errores* collectis ſtabilis fuit atque perpetua eorum ſanctorum permanſio, præmonente Auguſtino.

Huic Vincentius Lirinenſis, cujus antecedentia a Dallæo omittuntur, aſſentiens, de illorum Patrum ſententiis contra hæreſes adducendis ita tractavit: „ Cum primum mali
„ cujuſquam erroris putredo erumpe-
„ re cæperit; (*a*) & ad defenſionem
„ ſui quædam Sacræ Legis verba fu-
„ rari, eaque fallaciter, & frandu-
„ dulenter exponere: ſtatim inter-
„ pretando Canoni Majorum ſenten-
„ tiæ congregandæ ſunt quibus il-
„ lud quodcumque exurget novitium
„ ideoque prophanum, & abſque
„ ulla ambage prodatur, & ſine ulla
„ Retractatione damnetur, ſed eorum
„ dumtaxat Patrum ſententiæ con-
„ ferendæ ſunt qui in fide, & Com-
„ munione Catholica ſancte, ſapien-
„ ter, conſtanter viventes, docen-
„ tes, & permanentes, vel mori in
„ Chriſto fideliter, vel occidi pro
„ Chriſto fæliciter meruerunt. Qui-
„ bus tamen hac lege credendum eſt
„ ut quidquid vel omnes, vel plu-
„ res, uno, eodemque ſenſu mani-
„ feſte, frequenter, perſeveranter,
„ velut quodam conſentiente ſibi
„ Magiſtrorum concilio, accipiendo,
„ tenendo, tradendo, firmaverint;
„ id pro indubitato, certo, ratoque
„ habeatur. Quidquid vero, quam-
„ vis ille ſanctus, & doctus, quam-
„ vis Epiſcopus, quamvis Confeſ-
„ ſor, & Martyr, præter omnes,
„ aut etiam contra omnes ſenſerit;
„ id inter proprias, & occultas, &
„ privatas opiniunculas a commu-
„ nis, & publicæ, ac generalis ſen-
„ tentiæ auctoritate ſecretum ſit; ne
„ cum ſummo æternæ ſalutis peri-
„ culo, juxta ſacrilegam Hæretico-
„ rum, & Schiſmaticorum conſue-
„ tudinem univerſalis dogmatis anti-
„ qua veritate dimiſſa, unius homi-
„ nis novitium ſectemur errorem. „

Itaque ex Vincentio Lirinenſi conſtat, *communes*, *publicas*, & *generales* vel *omnium*, vel *plurium* ſanctorum ſcriptorum *ſententias a privata* unius *opinatione ſecretas* eſſe; illiſque auctoritatibus collectis quemcumque *exurgentem errorem ſine ulla retractatione*, ne videlicet *antiqua veritas dimittatur*, *damnandum*, eoſque ſanctos in *Fidei* ſententiis fuiſſe; in ipſaque uſque ad obitum permanſiſſe; quippe qui *in Fide*, & *communione Catholica viventes*, *docentes*, ac *permanentes*, vel *mori in Chriſto fideliter*, vel *occidi* pro *Chriſto meruerint*; & *veritatem* Catholicam ſuis *publicis*, *communibuſque ſententiis firmaverint*: a qua ne alii antiqui ſcriptores Eccleſiaſtici excludendi non ſunt; quorum aliqui, antequam in errores laberentur, Catholicam fidem tenebant, ſcriptiſque illuſtrabant.

Quid modo negotii eſt, Dallæi portenta convincere? pleni ſunt libri ſanctorum Patrum contra errores plene diſſerentium; qui omnes, *vita optime geſta*, atque adeo moderatione adhibita *debellatiſque erroribus*, mortem *glorioſe* opperierunt; quorum virtutem, ac modeſtiam, imitatus S. Auguſtinus, illiſque verbis neceſſario repetitis uſus; labori quidem ſe dedit, ut veterum teſtimonia adverſus Julianum produceret: verumtamen eo minus laboris conſumpſit, quo facilius publicas,

&

(*a*) *Vinc. Lir. in comm. cap. 39. pag. 45. Ven edit. an. 1696.*

& communes eorum ſententias, quas, *ſine ulla retractatione*, ut Lirinenſis vult, contra Hæreticos pronuntiarant, adduxit. Ubi eſt Dallæi acumen, & labor? vidit is Patrum volumina: vidit Auguſtinum ſua opera retractantem: non vidit nunc ipſum, a quo plerique Patres, qui ſua ſcripta non retractarunt, expedite laudantur; propterea quod iſti illo teſte *errores debellarint*, ſive prorſus everterint; ac ſic nullam retractationem neceſſariam eſſe voluerint, qualibet ſuorum temporum hæreſi expugnata.

Sed quoniam ille Pelagii, & Semi-pelagianorum error, quo Fidem, qua Chriſtiani ſumus, Dei donum eſſe negabant, nondum plane excuſſus fuerat, atque ſublatus: idcirco S. Auguſtinus quædam ſua opera retractanda cenſuit; atque ad SS. Proſperum, & Hilarium, qui Semipelagianorum hæreſes ei ſignificaverant, id ſcripſit. „ (a) Prius itaque fidem,
„ qua Chriſtiani ſumus, donum Dei
„ eſſe debeamus oſtendere, ſi tamen di-
„ ligentius id facere poſſumus, quam
„ in voluminibus tot, tantiſque jam
„ fecimus. Neque enim Fidem pu-
„ tabam Dei gratia præveniri, ut
„ per illam nobis daretur, quod poſ-
„ ceremus utiliter, niſi quia crede-
„ re non poſſemus, ſi non præcede-
„ ret præconium veritatis. Ut autem
„ prædicato nobis Evangelio conſen-
„ tiremus, noſtrum eſſe proprium,
„ & nobis ex nobis eſſe arbitrabar.
„ quem meum errorem nonnulla opu-
„ ſcula mea ſatis indicant, ante Epi-
„ ſcopatum meum ſcripta in quibus
„ eſt illud, quod commemoraſtis in
„ litteris veſtris, ubi eſt expoſitio
„ quarumdam propoſitionum ex Epi-
„ ſtola ad Romanos. Denique cum
„ mea cuncta opuſcula retractarem,
„ eamque retractationem ſtylo pro-
„ ſequerer, cujus operis jam duos
„ abſolveram libros, antequam ſcri-
„ pta veſtra prolixiora ſumpſiſſem,
„ cum ad hunc librum retractandum
„ in primo volumine perveniſſem:
„ ſic inde locutus ſum ... Ut dice-
„ rem: non ergo elegit Deus opera
„ cujuſquam in Præſcientia, quæ ipſe
„ daturus eſt: ſed Fidem elegit in
„ præſcientia, ut quem ſibi creditu-
„ rum eſſe præſcivit, ipſum elege-
„ rit, cui ſpiritum Sanctum daret.
„ Nondum diligentius quæſiveram,
„ nec adhuc inveneram, qualis ſit
„ electio gratiæ ... legimus enim,
„ dicente Apoſtolo, *miſericordiam con-*
„ *ſecutus ſum, ut Fidelis eſſem*: Non
„ ait, quia fidelis eram. Fideli ergo
„ datur quidem, ſed data eſt etiam,
„ ut eſſet Fidelis: rectiſſime itaque
„ alio loco in eodem libro dixit.
„ Quoniam ſi non ex Operibus, ſed
„ Miſericordia Dei & vocamur, ut
„ credamus, & credentibus præſta-
„ tur, ut bene operemur; non eſt
„ gentibus iſta invidenda miſericor-
„ dia: quamvis minus ibi diligen-
„ ter de illa, quæ per Dei propo-
„ ſitum fit, vocatione tractaverim,
„ videtis certe quid tunc de Fide,
„ atque operibus ſentiebam, quam-
„ vis de commendanda Dei gratia
„ laborarem: in qua ſententia iſtos
„ Fratres noſtros eſſe nunc video;
„ quia non ſicut legere libros meos
„ ita etiam in eis curaverunt pro-
„ ficere mecum: nam ſi curaſſent,
„ inveniſſent iſtam quæſtionem ſe-
„ cundum veritatem Divinarum Scri-

„ pru-

(a) *S. Aug. de Prædeſt. Sanct. cap. 11. & ſeq. Tom. 2. pag. 792.*

„ pturarum ſolutam, in primo libro „ duorum, quos ad beatæ memoriæ „ Simplicianum ſcripſi Epiſcopum „ Mediolanenſis Eccleſiæ ſancti Ambroſii ſucceſſorem in ipſo exordio „ Epiſcopatus mei, niſi forte non „ eos noverint. Quod ſi ita eſt, facite, ut noverint. De hoc primo „ duorum illorum libro, in ſecundo „ Retractationum primum locutus „ ſum, qui ſermo meus ita ſe habet: librorum, inquam, quos Epiſcopus elaboravi, primi duo ſunt „ ad Simplicianum Eccleſiæ mediolanſis antiſtitem, qui beatiſſimo „ ſucceſſit Ambroſio, de diverſis quæſtionibus, quarum duas ex Epiſtola Pauli ad Romanos in primum librum contuli. Harum prior „ eſt de eo, quod ſcriptum eſt: *quid* „ *ergo dicemus, lex peccatum eſt?* „ *abſit* ... Et cætera, quibus caro „ contra ſpiritum confligere oſtenditur, eo modo expoſui, tanquam „ homo deſcribatur adhuc ſub lege, „ nondum ſub gratia conſtitutus, „ longe enim poſtea, etiam ſpiritalis hominis (& hoc probabilius) „ eſſe poſſe illa verba cognovi. Poſterior in hoc libro quæſtio eſt ab „ eo loco, ubi ait: *non ſolum autem*, „ *ſed & Rebecca ex uno concubitu* „ *habens Iſaac Patris noſtri*: uſque „ ad illud, ubi ait, *niſi Dominus* „ *Sabaoth* reliquiſſet *nobis ſemen, ſicut Sodoma fuiſſemus, & ſicut Gomorrha* .. In cujus quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro „ libero arbitrio voluntatis humanæ; ſed vicit Dei gratia. Nec niſi „ ad illud potuit pervenire, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus, *Quis enim te* „ *diſcernit, quid autem habes, quod* „ *non accepiſti? ſi autem & accepiſti*, quid *gloriaris, quaſi non acceperis*; quod volens etiam Martyr „ Cyprianus oſtendere, hoc totum „ ipſo titulo definivit, dicens, *in* „ *nullo gloriandum, quando nihil* „ *noſtrum ſit*. Ecce quare dixi ſuperius, hoc Apoſtolico præcipue „ teſtimonio etiam me ipſum fuiſſe convictum, cum de hac re aliter ſaperem, quam mihi Deus in „ hac quæſtione ſolvenda, cum ad „ Epiſcopum Simplicianum, ſicut „ dixi, ſcriberem, revelavit. Hoc „ igitur Apoſtoli teſtimonium, ubi „ ad reprimendam hominis inflationem dixit, *quid autem habes, quod* „ *non accepiſti?* Non ſinit, quemquam Fidelium dicere, habeo Fidem, quam non accepi .. reprimitur omnino his Apoſtolicis verbis tota hujus reſponſionis elatio. „ Sed ne hoc quidem poteſt dici: „ quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, „ quo in Chriſtum primitus credidi; „ quia & hic reſpondetur: „ *quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem & accepiſti; quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Non igitur, uti Dallæus comminiſcitur, a S. Auguſtino in Retractationibus illud, quod pro vero tradiderat; ſed id, quod falſum erat, cuique ipſe *nondum erroris* notam inuſſerat, reprobatum fuit. Neque enim S. Doctor, cum S. Pauli Apoſtoli Epiſtolam ad Romanos exponeret, verum putabat initium Fidei, qua Chriſtiani ſumus, Dei donum non eſſe: nam quando illam Epiſtolam declarabat; *nondum quæſierat, nec adhuc invenerat veritatem*, teſte ipſo Auguſtino; qui etiam in illius Epiſtolæ expoſitionibus addidit, quod *non ex operibus, ſed miſericordia Dei & vocamur, ut credamus, &* credentibus, *præſtatur, ut bene operemur*.

mur. Iſtud ergo *de Fide*, *& operibus* tunc Auguſtinus *ſentiebat*, quamvis *minus diligenter de illa*, quæ *per Dei propoſitum fit*, *vocatione* ibi tractaverit, ſive *de commendanda Dei gratia laborarit*; qua tamen fidem præveniri, hujuſque *initium* eſſe *Dei* donum, ipſe S. Doctor ex Traditione *Simplicianum* docuerat, antequam Retractationum libros ederet, in quibus idipſum, quod ex *S. Cypriano* tradiderat, approbavit. Itaque Dallæus errat, inſinuans, Auguſtinum illa, quæ ceu vera prius tradidit, in retractationibus improbaſſe: falſa cenſorem loqui non vides? quæ enim ex Patribus S. Doctor præſertim Simpliciano ſcripſerat, atque tradiderat: ea utpote vera in eodem *libro*, aliiſque laudatis probavit. Quæ autem in aliquibus ſcriptis expoſitionibus, quas jam citavimus, *minus diligenter tractaverat*; quæque Pelagianis, & Semi-pelagianis aliquantum favere videbantur: hæc quidem Auguſtinus correxit, ac retractavit; ſed hanc retractationis cauſam pleriſque Patribus Sanctis, quorum teſtimonia adverſus eos Heterodoxos attulerat, minime adiudicavit.

Quærat nunc Dallæus illo, quem retulimus, modo; Quis ſcit verbi cauſa, num e Patribus, quæ in ſententia vel de peccato Originali, vel de illa Dei gratia præveniente adducitur, aliquis non retractaverit ea, quæ hodie in ipſorum monumentis extare videmus? Nonne autem iſthæc interrogatio errore inflatur? Nam Magnus Auguſtinus & illa retractavit & plures eas Sanctorum Patrum teſtificationes, quæ nunc in ipſorum libris leguntur, cumque cæteris communioribus fidei ſententiis conſtant, tribuit: & tamen eaſdem Fidei ſententias a Patribus retractatas non modo non dixit; verum etiam hos in illis ad mortem uſque manſiſſe, aperte ſignificavit. Ea igitur plerorumque veterum retractatio, quam Dallæus interrogando fingit, firmiſſimis Sancti Fidei ſententiis, quas Patres Sancti conſtanter dixerunt, ac S. Auguſtini teſtimoniis contraria eſt atque confecta ex ſuſpicione, falſitate, & errore; quo cenſor ductus iterum quærit. „ Annon errore ſuperſtite. „ pænitentiæ monumenta tempus e „ medio ſuſtuleris? „ annon igitur cenſor rurſus per errorem labitur? etenim his falſo ſupponit, in pleriſque Sanctorum veterum libris, qui modo ſuperſunt, errores, quos ipſis viventibus Eccleſia Catholica publice coarguiſſet, ineſſe: quæ Dallæi ſuppoſitio laudato S. Auguſtino adverſatur, qui fere omnium veterum monumenta integra vidit, teſtatus, pleroſque Sanctos Patres, ſervata *Regula Catholica*, *ac debellatis ſuorum temporum erroribus*, *glorioſiſſime* obiiſſe: quo apertiſſimo S. Auguſtini teſtimonio monſtratur, in plurium Sanctorum vetuſtorum operibus extantibus nullum *ſuorum temporum errorem* ſuperſtitem eſſe; quippe qui ab ipſis *debellatus* ſit & everſus. Iiſdem ergo Sanctis iſti errores, ob eoſque aliquæ retractationes, ac pænitentiæ monumenta ab ipſo Dallæo falſe tributa ſunt, atque ſuppoſita. Cum itaque de his falſis ſuppoſitionibus conſtet, iſtudque firmiſſimum judicium fiat: cumque legitimi veterum libri, præſertim ii, in quibus & ex Fide Catholica agitur, & errores redarguuntur, certiſſimi ſint, Hiſtoricis Eccleſiaſticis, ac Patribus teſtibus: clarum eſt, communioribus, & conſtantibus veterum auctoritatibus Fidei dogmata, quæ Eccleſia Catholica perpetuo defendit, adver-

ſus priſcos, ac recentes Hereticos vinci.

Hinc etiam adverto, quod Patres privatas aliquot veterum opiniones vel probabiles putarunt, vel poſtea evulſas exemplis ſupra poſitis oſtenderunt, Communes autem & conſtantes aut plurium, aut omnium, ſententias in Eccleſia Catholica receptas ut neceſſarias, hoc eſt, & veras habuerunt & certas.

Hæc, quæ contra Dallæum obſervamus, nedum adductus Vincentius Lirinenſis adnotavit; verum quoque S. Auguſtinus edocuit; qui Juliano Originalem culpam neganti iſta primum objecit: „(*a*) Puto, tibi eam „ partem orbis ſufficere debere, in „ qua Primum Apoſtolorum ſuorum „ voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare: cui Eccleſiæ Præſidentem beatum Innocentium ſi „ audire voluiſſes; jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim „ potuit ille vir ſanctus Africanis „ reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia!... Sancto Innocentio vide quid reſpondeas, qui nihil aliud de hac re ſapit, quam „ quod iſti, in quorum re conventum, ſitamen prodeſt aliquid, introduxi ... non eſt ergo cur provoces ad Orientis Antiſtes, quia „ & ipſi utique Chriſtiani ſunt, & „ utriuſque partis terrarum Fides iſta „ una eſt, & te certe .. Occidentalis regeneravit Eccleſia, quid ei „ quæris inferre, quod in ea non „ inveniſti .. „ Ac poſteaquam plures Patres peccati Originalis teſtes adverſus Julianum produxiſſet, tum ei dixit: (*b*) audi omnes uno corde, „ uno ore, una Fide idipſum dicere, & hanc eſſe Catholicam fidem, „ non diſſonante conteſtatione firmatam .. „ Et paulo poſt ait: „ interim habes in conſpectu non „ ſolum (*c*) Occidentis, verum etiam „ Orientis Epiſcopos. Nam qui nobis deeſſe videbantur; plures Orientis invenimus. Omnes uno, eodemque modo credunt, per unum „ hominem peccatum intraſſe in „ mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccaverunt. Qui modus hic eſt, ut, „ peccato illius unius hominis primi „ omnes naſci credantur obnoxii. Si „ hoc qui dicit, Manichæus abs te „ dicitur; iſtos adſpice iſtis erubeſce, iſtis parce, vel tibi potius, „ ne rector, & habitator illorum „ tibi forte non parcat. Si autem „ iſtos Manichæos eſſe non dicis, „ nec me poteris invenire cur dicas; „ neque enim me ob aliud hoc eſſe „ dicis, niſi quia de peccato primi „ hominis, cui omnes carnalis nativitas obligavit, inde quemquam „ niſi ſpiritalis nativitas ſolvit, quod „ credunt, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod „ prædicant, prædico. His cæde. „

Quod igitur *antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana Eccleſia cum cæteris tenet perſeveranter* Eccleſiis aut in *Eccleſia* utique Catholica *antiquitus invenitur*: id *plures*, ſive plerique, vel omnes Patres vetuſti *tenent*, *prædicant*, *credunt*; quorum proinde documenta re-

(*a*) *S. Aug. lib.* 1. *con. Jul. cap.* IV. *pag.* 203. *Tom.* X.

(*b*) *S. Aug. lib.* 1. *cont. Jul. cap.* V. *pag.* 105. T. X.
[*c*] *ibid. pag.* 308.

Digitized by Google

recepta *antiquitus* in Apoſtolica, & Catholica Eccclesia, quæ etiam poſtea eorum plura definiit, ſimpliciter neceſſaria, aut vera, & certa adeo ſunt, ut a probabilibus, ac veriſimilibus ipſorum enuntiatis, quorum alia aliis *meliora*, ac *veriora* ſunt, apertiſſime ſecernantur. Hinc non tantum dignoſcendorum dogmatum medium facile proferimus; verum etiam omnia Catholica dogmata & a probabilibus veterum enarrationibus expedite diſtinguimus; & illa eadem dogmata neceſſario credenda eſſe certo ſtatuimus: idque eo probamus, quod ipſa ut vera *antiquitus* recepta in Eccleſiis Catholicis, & a pleriſque Orthodoxis, ac Patribus *prædicata*, atque etiam definita ab Eccleſia *Apoſtolica*, utpote ad *unam fidem Catholicam*, *non diſſonanti* illorum veterum *conteſtatione firmatam*, ſpectantia, noſcantur, atque monſtrentur.

Etenim Dallæus obtendit, quod Chriſtianæ Religionis „ (*a*) veritates „ longæ ſint aliæ aliis magis neceſ- „ ſariæ, ut clare docet Origenes ho- „ milia 27. in Matthæum. Confer in- „ ter ſe has duas propoſitiones, hanc, „ *Chriſtus eſt Deus*, & hanc alteram, „ *Chriſtus mortem pertulit*, *natus annos triginta quatuor*, *aut triginta quinque*. Quis, etſi ambæ veræ ſint, „ inter utramque tamen ſummum „ eſſe diſcrimen non videt? Prior „ enim neceſſario vera eſt, id eſt, „ ita ut fieri non potuerit, quin „ Chriſtus eſſet Deus, cum homi- „ nis ſalus, quæ finis eſt religionis, „ obtineri non poſſet alio modo. „ Poſterior vero, etſi vera ſit, & „ ſatis aperte ex Scriptura deduca- „ tur; non eſt tamen neceſſaria. Po- „ terat enim Chriſtus, ſi ſic ei vi- „ ſum fuiſſet, mortem obire qua- „ drageſimo, aut quinquageſimo æta- „ tis ſuæ anno, nullo ſalutis noſtræ, „ quam ſibi finem coſtituerat, diſ- „ pendio. Pro varietatis hujus ra- „ tione diverſi in religione momen- „ ti eſt agnitio, aut ignoratio dua- „ rum iſtarum propoſitionum. Prior „ non poteſt ignorari, multo minus „ negari, quin totus pereat Chri- „ ſtianiſmus; poſterior ignorari, im- „ mo & rejici poteſt ſine magno „ periculo. Ut ergo liquido nobis „ conſtet, quid ſuper capitibus con- „ troverſis ſenſerint Patres, ſtatuen- „ dum eſt non ſolum, num ea cre- „ diderint, ſed præterea quo loco „ ea habuerint, num neceſſario, vel „ probabiliter tantum.

Hic Dallæo conſiderandum erat, ne quid, quod ad cauſam attinebat, præteriret, ne quam in aliam rem tranſiret, ne quid perturbate diceret & contorte. Etenim Orthodoxæ Fidei, quæ Chriſtianæ Religionis ſubſtantia & character eſt, veritates, quibus adduci Dallæus noluit, adeo ſunt neceſſariæ, atque ſimpliciter certæ, ut non ſolum a veriſimili, probabili, probabiliori, atque ab omni dubio diſtinguantur; verum etiam aliter eſſe nequeant: quia ipſa fides, & ita omnis ejus veritas, variari non poſſunt.

At Dallæus falſo contendit, Origenem homilia XXVII. in Matthæum docere, Chriſtianæ religionis veritates alias aliis magis neceſſarias eſſe. Primum enim Homilia illa, aliæque ſequentes, quas vetus Origenis interpres tractatus vocat, quæque græ-

(a) *Dall. lib. 1. de uſu Patr. cap. 8. pag. 170.*

ce non extant, eidem Origeni ſuppoſitæ idcirco videntur, quia *Tomos xxv.* in Matthæum ab Origene ſcriptos fuiſſe, (*a*) Euſebius, & S. Hieronymus teſtificantur; quorum teſtimonia denunciant, non Homilias, neve Tractatus XXVI. alioſque additos, ſed tantum *tomos xxv.* ab Origene compoſitos eſſe; ac proinde huic homiliam illam XXVII. ſive tractatum adfictum fuiſſe.

Deinde illius Homiliæ, aut Tractatus Auctor ne ullum quidem verbum *neceſſarii*, quod Dallæus comminiſcitur, in eadem homilia XXVII. facit; ſed de Fidei veritate, ac de Sacræ Scripturæ ſenſu, qui ab aliquo vetere clarius, ac verius contra falſum oſtenditur, tractat; dum & Evangelia de Antichriſto loquentia enarrat, & de Heterodoxis hæc dicit: „ Non mul-
„ ti fuerunt homines in tempore Apo-
„ ſtolorum, qui (*b*) Chriſtos ſe eſſe
„ dixerunt; niſi forte Doſitheus Sa-
„ marites, unde & Doſitheani di-
„ cuntur, & Simon, de quo referunt
„ actus Apoſtolorum, qui ſe virtu-
„ tem eſſe Dei magnam pronun-
„ tiabat .... Sed omnis ſermo, qui
„ profitetur expoſitionem Scriptura-
„ rum .., non autem habet verita-
„ tem; juſte Antichriſtus eſſe intel-
„ ligendus eſt, veniens in nomine
„ Chriſti, & dicens, quod ego ſum
„ Chriſtus, mentiens, & minime
„ potens oſtendere veritatis formam
„ in ſe. Et quoniam eis, qui diſ-
„ cutiunt verba Scripturæ, ut inve-
„ niant ſenſum ejus, frequenter oc-
„ currunt quidam intellectus quaſi
„ veri, cum non ſunt veri; ali-
„ quando autem traduntur & ab aliis
„ veriſimilibus colorati ſermonibus,
„ ut non facile inveniatur, qui ve-
„ rus eſt ſenſus; priuſquam adver-
„ ſus mendaces exiſtimationes inven-
„ tus fuerit verior ſenſus & firmor:
„ propterea puto, quod Chriſtus ad
„ interrogationem Diſcipulorum ſuo-
„ rum dicentium: (*c*) *quando hæc*
„ *erunt? & quod ſignum adventus*
„ *tui, conſumationis ſæculi?* ita reſ-
„ pondit: *videte, nequis vos ſeducat?*
„ *multi enim venient dicentes, ego*
„ *ſum Chriſtus, & multos ſeduce-*
„ *nt*...... Sciendum eſt autem, quo-
„ niam quantum ad veritatem im-
„ poſſibile eſt, eſſe aliquem inno-
„ centem manibus, & mundum,
„ peccatis, ut non ſit purus corde,
„ & caſtus a dogmatibus falſis; ſicut e
„ contrario impoſſibile eſt, mun-
„ dum quidem, & caſtum eſſe cor-
„ de a dogmatibus falſis, ut non
„ ſit innocens manibus, & mundus
„ a peccatis. Hæc enim alterutrum
„ ſe ſequuntur, & non ſeparantur
„ ab invicem. Sermo mundus in
„ anima, & vita irreprehenſibilis.
„ Abundantius autem de capitulo
„ illo tractavimus, docentes noſipſos
„ ſecundum ea, quæ viſa ſunt no-
„ bis in loco, ut cuſtodiamus nos
„ ab omni errore falſorum dogma-
„ tum ſive de manifeſtis, & princi-
„ palibus capitulis, ſive de his, quæ
„ videntur minora, ut audiamus,
„ qui dixit, (*d*) *non declinabitis ad*
dexteram, aut ſiniſtram ab eo, qui
„ dixit, *ego ſum vita*. (*e*) Nec ſe-
„ du-

(a) *Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccl c. 36. S. Hyer. Prat. comment. in Mat.*

(b) *Vide tract. 27. in Mat. Tom. 2. Oper. Orig. pag. 851, Paris. edit. an. 1740.*

(c) *Matt. 24. 3.*

(d) *Deut. v.*

(e) *Joan. 14.*

Digitized by Google

„ ducamur, ſed vigilemus, nequis „ nos fallat eorum, qui veniunt in „ nomine Chriſti, dicentes, ego ſum „ Chriſtus, ego ſum veritas, & ſa- „ pientia, & lumen verum. „

Non ergo, uti a Dallæo fingitur, ille antiquus aut Scriptor, aut interpres clare prædocuit, Chriſtianæ religionis veritates alias aliis magis neceſſarias eſſe; cujus neceſſitatis ne ullam quidem vocem ille inibi protulit: ſed enuntiati, quod Dallæus ſumit, contrarium indicavit, dum monuit, *ut nos cuſtodiamus ab omni falſo*, & *erroneo dogmate ſive de principalibus capitulis ſive de bis*, quæ quidem Hæreticis, de quibus idem ſcriptor loquitur, *minora falſe videtur*; veruntamen, *quantum ad veritatem erroribus* oppoſitam, atque adeo ad fidem Catholicam pertinet, iſta nec minora, nec minus neceſſaria, neve minus indubia quam illa credenda eſſe, idem ſcriptor voluit; utpote qui ſecundum ſacras litteras de utriuſque Fidei capitibus docuerit, *non declinandum ad dexteram, aut ſiniſtram;* ac proinde non magis illa, quam iſta; ſed utraque æque ac ſimpliciter credi opportere: ideoque utrorumque ſenſum a Parribus oſtenſum comparate ad *coloratos* Hæreticorum ſermones, qui videlicet ſpecie tenus *veriſimiles* videntur; ſed reapſe ficti, fallaces, & falſi ſunt, veriorem eſſe, atque firmiorem; qui tamen ut falſitati contrarius abſolute *verus eſt* ac certus. Quocirca qui utrorumque Fidei capitum veritatem negaverint ab Heterodoxis *ſeductus*: is in *omni errore* verſabitur; ex quibus illius auctoris quanquam ſuppoſiti rationibus adverſus Dallæum, qui eum citat, colligitur, omnes Orthodoxæ fidei veritates æque neceſſarias, ſive neceſſario eſſe credendas, ut nos, a *coloratis* Hæreticorum ſermonibus, ſeductionibus, *erroribuſque* avertamus.

Hinc cenſor animum ſuum ſeduxit: quæ enim ad catholicam fidem non pertinent, ac Patribus doctiſſimis, eruditiſque omnibus probabilia viſa ſunt: ea cum certiſſimis Fidei dogmatibus ſiniſtre confundit, haud inſtitutus laudati S. Auguſtini doctrina; qui a veris Chriſtianæ religionis dogmatis diſtinguit illas (*a*) Quæſtiones, *in quibus, ſalva fide qua Chriſtianis ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiva ſuſpenditur, aut aliter quam eſt, humana, & infirma ſuſpicione conjicitur*. Cum ergo quæritur, quo ætatis ſuæ anno Chriſtus objerit: hæc Quæſtio, *Salva Fide, qua Chriſtiani ſumus*, dumtaxat veriſimilius decernitur: neque enim illum annum plures Patres dubio procul tradidere; neque de eo Eccleſia *definitivam* habuit *ſententiam*; neque ex novo Teſtamento idem annus certo colligi, ſed probabilius *conjici* poteſt. Poterat quidem Chriſtus Dominus, ſi voluiſſet, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, vel etiam alio oppetere mortem: ſed tamen non certe, non ſimpliciter vere, non ſatis aperte, ſed, veriſimilius, ex ipſa Divina Scriptura, exque natali ipſius Domini anno annus non quadrageſimus, ſed trigeſimus ſerme quartus mortis ejus conficitur. Unde Dallæus falſe ſupponit, hoc verum eſſe, quod „ Chriſtus natus annos triginta qua- „ tuor, aut triginta quinque mor- „ tem

[a] *Vide ſuperiora*.

„ tem pertulerit: „ in quo enuntiaio expreſſe diviſo vel pars prior eſt vera; ac ſic altera falſa eſt, aut viciſſim: in quibus proinde eo modo expreſſis veritas nequaquam apparet. Quapropter ex rebus ipſis, quas diximus, illud probabilius elicitur, Chriſto Domino, cum annos triginta tres, treſque menſes haberet, mortem illatam fuiſſe: cujus anni enuntiatio ineruditis quadamtenus nota, atque ad eruditioribus non rejecta, nullam Chriſtianæ religionis diverſitatem, nullam fidei neceſſitatem, nullumque æternæ ſalutis periculum, ſi *aliter* putatur, adducit: non quo Chriſtus alio anno mori potuerit, ut certe potuit: ſed quia nulla habita Eccleſiæ Apoſtolicæ definitione, atque adeo *ſalva Chriſtiana fide*, eadem aſſertio noſtra ut veriſimilior agnoſcitur, atque tenetur. Adhibeat ergo Dallæus S. Auguſtini doctrinam: conferat eam aſſertionem non certo veram, ſed veriſimiliorem cum iſto Fidei Catholicæ enuntiato, quo Chriſtus eſſe Deus creditur intelligat tandem verum utriuſque propoſitionis diſcrimen, quo ejus argutatio refutatur. Nam illa enuntiatio de anno mortis Chriſti non certe vera, ſed aliis eſt probabilior: quæ non rejicitur quidem, niſi ab imprudente; verum & a paucis aliquantum ignoratur, & a doctis veriſimillima, non certa eo cenſetur, quia ipſam nec plerique veteres docuerunt, nec Eccleſia definiit. Certiſſima vero Fidei ſententia de Chriſto Deo, & homine, ſine quo æterna ſalus obtineri nequit, cujuſque Divinitatem Sociniani impie negantes ſibi veram religionem eripiunt, idcirco neceſſario vera, & ſimpliciter credenda eſt; quod Chriſtum eſſe verum Deum Patri conſubſtantialem & plures veteres tradiderint, & Nicænum I. Concilium Œcumenicum *definitiva* ſententia confirmavit. Illud ergo de reliquis omnibus Fidei dogmatibus, quorum aliqua a Dallæo Catholicam religionem violante indubium falſe vocantur, liquido, uti ſtatuimus, conſtat, ea omnia non probabilia, ſed ſimpliciter vera, & certiſſima, ac neceſſario credenda ideo eſſe, quod & a pleriſque Patribus tradita fuerint, & a generalibus Synodis, quas Romani Pontifices confirmavere, definita ſint, atque probata. Quid igitur de controverſiis jam diremptis veteres ſenſerint, ex communibus, & conſtantibus eorum vel plurium, vel omnium doctrinis, quas Eccleſia adhibuit, ſic liquet, ut iſtæ doctrinæ ſint diſtinguendæ a nonnullis probabilibus aliquorum enuntiatis, quibus alius alio quidpiam melius dicit & verius: quæ quidem poſteriora veriſimilium loco haberi jam diximus. Sed tamen adverſus Dallæum etiam conſtituimus, atque probavimus, priora dogmata, ſive Catholicas doctrinas neceſſarias, aut certas a Patribus habitas, & creditas eſſe; utpote quibus ipſi & in Eccleſia inſtituti fuerint, & errores everterint; quod etiam illo Divinitatis Chriſti exemplo, atque allatis S. Auguſtini argumentis oſtenditur: nam & Nicænum I. anteriorum Patrum doctrinam, qua Dei Filium verum Deum Patri conſubſtantialem tradiderant, non probabilem, ſed indubitatam, ac neceſſario credendam ſtatuit: & S. Auguſtinus docet, ac prædicat, complurium Sanctorum Patrum documentum de originali peccato eſſe dogma *Catholicæ Regulæ*; quæ cum Chriſtianæ religionis veritates omnes æque certas per ſe ſe habeat: hinc æqualem

lem credendi neceſſitatem, ut æter-
nam gloriam adipiſcamur, imponit.

At etiam Dallæus plura miſcet,
& objicit: primum quod aliqui ve-
teres „ (a) in dubium vocabant,
„ vel etiam rejiciebant ea, quæ vera
„ quidem, ſed non neceſſaria cen-
„ ſebant. Clare id patet ex Epiſto-
„ la Irenæi ad Victorem Pontificem
„ Romanum, apud Euſebium in Hi-
„ ſtoria. Teſtatur enim ſanctus ille
„ vir, varietatem, ſive diſcrepan-
„ tiam, quæ etiam ante Victorem
„ de die Paſchatis inter Epiſcopos
„ Aſiæ, & Eccleſiam Romanam fue-
„ rat, non obſtitiſſe, quominus pa-
„ cem inter ſe colerent (b) Poly-
„ carpus, & Anicetus Papa. Ter-
„ tullianus de Præſcriptionibus ad-
„ verſus Hæreticos poſtulat tantum,
„ ut regula Fidei maneat in ratio-
„ ne ſua, & ordine. „ Deinde ob-
tendit, quod quidem „ Patres Tri-
„ dentini, nulla neceſſitate ſalutis,
„ ſed probabilem tantum ob cauſam
„ veteres, parvulos uſu rationis ca-
„ rentes ad Euchariſtiæ communio-
„ nem ſuſcepiſſe decernunt: atqui
„ ex Patrum monumentis certo con-
„ ſtare videtur, ipſos parvulorum
„ cunctorum communionem cenſuiſ-
„ ſe neceſſariam: ſic enim de ea re
„ loquitur (c) Auguſtinus; *ex anti-*
„ *qua, & Apoſtolica, traditione Ec-*
„ *cleſia Chriſti inſitum tenere, præ-*
„ *ter baptiſmum, & participationem*
„ *Dominicæ menſæ, non ſolum ad re-*
„ *gnum Dei, ſed nec ad ſalutem,*
„ *& vitam æternam poſſe quemquam*
„ *hominum pervenire*. Quod poſt-
„ quam ex Scriptura confirmaſſet;
„ ſubdit: *ſi ergo, ut tot, & tanta*
„ *Divina teſtimonia convincunt, nec*
„ *ſalus, nec vita æterna ſine baptiſ-*
„ *mo, & corpore & ſanguine Domi-*
„ *ni cuiquam ſperanda eſt, fruſtra*
„ *ſine his promittitur parvulis*. In-
„ nocentius I. Papa æqualis ejus in
„ eadem fuit ſententia. Nam ba-
„ ptiſmum parvulis eſſe neceſſarium,
„ ut vitam æternam conſequantur,
„ ex eo adverſus Pelagianos probat,
„ quod abſque baptiſmo ad Eucha-
„ riſtiam admitti non poſſent. Extat
„ (d) Innocentii Epiſtola, ac ut
„ deeſſet, non ſinit nos Auguſtinus
„ ea de re dubitare: *Inocentius*, in-
„ quit, *parvulos definivit, niſi man-*
„ *ducaverint carnem filii hominis*, (e)
„ *vitam prorſus habere non poſſe*. Lon-
„ go ante tempore Cyprianus in eun-
„ dem ſenſum ea de re locutus fue-
„ rat. „ Denique opponit, quod
„ hic mos apud Patres frequens eſt,
„ maxime apud Tertullianum, Am-
„ broſium, & Hieronymum, qui
„ cum ingenio ſint fervido, ac con-
„ citato, quam in partem propen-
„ dent, eo tanto impetu feruntur,
„ ut quos quidem laudant, eos inter
„ Angelos, quos vero vituperant,
„ eos inter Diabolos collocare vi-
„ deantur: ita quæ credenda putant,
„ non aliter commendant, quam ſi
„ totidem eſſent Chriſtianiſmi fun-
„ damenta; quæ rejiciunt, ac refu-
„ tant, non aliter explodunt, quam
„ ſi merum Atheiſmum ſpirarent.
„ Hieronymus certe, ut Furiam, no-
„ bilem viduam Romanam a fecun-
„ dis nuptiis avocaret, non aliter,
„ agit, (f) quam ſi eam a parrici-
dio

(a) *Dal. ib. pag. 172.*
(b) *Tert. de præſ. Hæret. cap. 14.*
(c) *Aug. de pec. mer. & remiſſ. lib. 1. c. 24.*
[d] *Innoc. Ep. ad Milev. Syn. inter. Aug. Epiſtolas 95.*
[e] *Vide Aug. lib. 2. cont. 2. Epiſt. Pelag. c. 4. & lib. 1. cont. Jul. c. 2.*
(f) *Hier. Ep. ad Fur.*

„ dio dehortaretur. Unica reſtat via,
„ qua nobis conſtare poſſit, quo loco
„ ſingula doctrinæ Chriſtianæ capi-
„ ta poſuerint, Symbola nempe,
„ & Fidei expoſitiones ſive totius
„ Eccleſiæ, ſive conventuum Eccle-
„ ſiaſticorum. Jam ab initio quædam
„ expoſuimus. Quod vero ad ea ca-
„ pita pertinet, quæ hodie contro-
„ verſa ſunt: vix quidquam hac via
„ promovebimus. Nullum enim eo-
„ rum vel in regula illa Fidei, quam
„ tanti fecit Tertullianus, vel in
„ Symbolo Nicæno, vel in Conſtan-
„ tinopolitano, vel in canonibus
„ Epheſinis, vel in Chalcedonenſi-
„ bus comparet. Adde, quod ne
„ in duobus quidem ſequentibus Con-
„ ciliis habentur controverſa hodie
„ capita. Et tamen ſex illa priora
„ Concilia ſi ſeptimi Patribus fides
„ habeatur, (a) *confirmarunt, &*
„ *conſtituerunt quæcumque a princi-*
„ *pio temporum ſive ſcripto, ſive*
„ *traditione non ſcripta Eccleſiæ tra-*
„ *dita fuerant*. Unde ſequeretur, ea
„ Fidei capita, quæ in iis non ha-
„ bentur, neque ſcriptis, neque alia
„ ratione a principio tradita fuiſſe.
„ Octavo Sæculo in apertum erum-
„ pit ex capitibus controverſis unum
„ de imaginibus. Epiphanius opus
„ ſuum adverſus hæreſes duabus clau-
„ ſit diſſertationibus. Altera mores,
„ & diſciplinam Eccleſiæ temporis ſui
„ refert. Altera fuſa Fidei Eccleſiæ
„ expoſitio continetur, quam ſan-
„ ctus ille antiſtes vocat *veritatis*
„ *firmamentum*. Et tamen ex om-
„ nibus capitibus, quæ ſunt in con-
„ troverſia nullum ibi animadverte-
„ re eſt, præter localem Chriſti ad
„ inferos deſcenſum. In actis VI. Syno-
„ di extat Sophronii Patriarchæ Epi-
„ ſtola Synodica, in qua ſingillatim
„ fidem exponit; & tamen ne unum
„ quidem capitum hodie controver-
„ ſorum ponit. Qui hæc attentius
„ obſervavit, ex eo ſilentio argumen-
„ tabitur, capita iſta in Eccleſiæ
„ Fide tunc temporis nulla fuiſſe. Mi-
„ hi vero ſatis eſt, e ſuperioribus con-
„ cludere, quod inſtitui, eſſe, ſi
„ non omnino impoſſibile, ſaltem
„ difficillimum, conſtituere, quo gra-
„ du ſive neceſſitatis, ſive probabi-
„ litatis, veteres Patres unumquo-
„ que caput eorum, quæ hodie con-
„ troverruntur, habuerint; quando-
„ quidem ea neque in Fidei ſuæ
„ expoſitionibus, neque in Concilio-
„ rum ſuorum capitibus, quæ ſunt
„ veluti Catalogi eorum, quæ ne-
„ ceſſaria cenſuerunt, unquam po-
„ ſuerunt. „

Etenim iſta non attentius, ſed fruſtra obſervaſſe, in iiſque peccaſſe Dallæus jam judicatus eſt, qui primitus minime advertit, quod ſecundum *Catholicam regulam* ad quam non modo Tertullianus ab ipſo adlegatus, verum etiam S. Auguſtinus ſupra commendatus nos dirigunt, orthodoxa fides ſemper in ſua ratione manſit & ordine: Ritus autem celebrandi Paſchatis die Dominico lunam XIV. primi menſis ſtatim ſequente, quem Eccleſia Romana, & pleræque Eccleſiæ perpetuo ſervarunt, ex Apoſtolica quidem Traditione manavit, ſed pro vario tempore aliis in locis obſervandus, donec videlicet Judæorum mos inductus in nonnullas Eccleſias, quæ Paſcha ut iſti luna XIV. faciebant, paulatim abiret: quam ob cauſam quæſtio de illo Paſcha-

(a) Conc. VII. act. 6.

chatis die olim ad diſciplinam, quæ a Fide diſtinguitur, ſpectare videbatur.

Hæc enim S. Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo ſecreta fuiſſe, S. Irenæus, cujus verbis Dallæus abutitur, plane ſignificavit; ſicuti in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius refert hoc modo.
„ Aniceto (*a*) Romanæ Eccleſiæ Præ-
„ ſidente, Polycarpum, qui etiam
„ tum ſuperſtes erat, Romam ve-
„ niſſe ob quæſtionem quandam, quæ
„ de Paſcha inciderat, & cum Ani-
„ ceto colloquium habuiſſe, tradit
„ Irenæus; aliam præterea idem Scri-
„ ptor de Polycarpo rem narrat in
„ tertio contra hæreſes libro; quam
„ cæteris, quæ de illo commemo-
„ rantur, neceſſario adjungendam pu-
„ tavi, ſic autem habet: ſed & Po-
„ licarpus, inquit, vir, qui non ſo-
„ lum ab Apoſtolis eruditus, & cum
„ multis, qui Dominum viderant,
„ familiariter verſatus; verum etiam
„ in Aſia Smyrnenſis Eccleſiæ ab ipſis
„ Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus:
„ quem nos quoque adhuc adoleſ-
„ centes vidimus; vixit enim diu-
„ turne, & in ultima ſenectute ſum-
„ ma cum gloria illuſtre perpeſſus
„ Martyrium, exceſſit e vita. Hic,
„ inquam, Polycarpus ea ſemper
„ docuit, quæ ab Apoſtolis didice-
„ rat, & quæ etiam nunc tradit Ec-
„ cleſia, & quæ ſola ſunt vera: te-
„ ſtantur hoc Eccleſiæ omnes, quæ
„ in Aſia ſunt, & quicumque ad
„ noſtram uſque ætatem in Polycar-
„ pi locum ſucceſſerunt: qui certe
„ multo Fide dignior, ac locuple-
„ tior teſtis fuit veritatis, quam aut
„ Valentinus, aut Marcion, & re-
„ liqui pravarum opinionum aucto-
„ res. Idem Aniceti temporibus
„ Romam veniens, multos ex ſu-
„ pra dictis hæreticis ad Eccleſiam
„ Dei revocavit, hanc unam, &
„ ſolam veritatem ſe ab Apoſtolis
„ accepiſſe prædicans, quæ ab Ec-
„ cleſia traderetur. Et ſuperſunt
„ adhuc nonnulli, qui illum id nar-
„ rantem audiverant, Joannem Do-
„ mini diſcipulum, cum lavandi cau-
„ ſa balneum Epheſi eſſet ingreſſus,
„ viſo intus Cerintho, mox illum
„ e balneo profugiſſe; atque in hæc
„ prorupiſſe verba: fugiamus hinc
„ ne forte balneum corruat, in quo
„ eſt Cerinthus veritatis inimicus.
„ Ipſe etiam Polycarpus, cum ei
„ Marcion aliquando occurriſſet, di-
„ xiſſetque, agnoſce nos; reſpondiſ-
„ ſe fertur, agnoſco Te primogeni-
„ tum Satanæ. Adeo religioſe cave-
„ bant Apoſtoli, eorumque diſcipu-
„ li, ne vel ſermone tenus miſceren-
„ tur cum ullo eorum, qui verita-
„ tem adulterabant, quemadmodum
„ & Paulus dixit: Hæreticum homi-
„ nem poſt unam, aut alteram ad-
„ monitionem devita ..... (*b*) Et
„ cum beatiſſimus Polycarpus Ani-
„ ceti temporibus Romam veniſſet,
„ atque inter illos de quibuſdam aliis
„ rebus modica eſſet controverſia;
„ ſtatim mutuo pacis oſculo ſe com-
„ plexi ſunt. Neque enim Anicetus
„ Polycarpo perſuadere unquam po-
„ terat, ut obſervare deſineret, quip-
„ pe qui cum Joanne Domini no-
„ ſtri diſcipulo, & cum reliquis Apo-
„ ſtolis, quibus cum familiariter vi-
„ xerat, eum morem perpetuo ob-
„ ſervaſſet; neque item Polycarpus

(a) *Euſ. lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 14. pag. 137.*
(b) *S. Iren. apud Euſeb. ibid. lib. V cap. 24. pag. 216.*

,, Aniceto perſuadere (*a*) conatus eſt,
,, ut obſervaret, cum Anicetus eo-
,, rum, qui ante ſe fuerant, Preſ-
,, byterorum morem ſibi retinendum
,, eſſe diceret: quæ cum ita ſe ha-
,, berent; communicarunt ſibi invi-
,, cem, & Anicetus in Eccleſia con-
,, ſecrandi munus Polycarpo hono-
,, ris cauſa conceſſit. Tandemque
,, cum pace a ſe invicem diſceſſe-
,, runt. ,,

Atque etiam Euſebius de Nicæno primo Concilio generali, in quo illa ,, Paſchatis Quæſtio diſſoluta eſt,
,, iſthæc protulit: ubi cum de ſan-
,, ctiſſimo etiam Paſchæ die quæſi-
,, tum fuiſſet; (*b*) communi omni-
,, um ſententia decretum eſt, eam
,, feſtivitatem uno, eodemque die
,, ab omnibus celebrari oportere. Quid
,, enim pulchrius, quid honeſtius
,, nobis eſſe poſſit, (*c*) quam ut
,, hæc feſtivitas, a qua ſpem im-
,, mortalitatis accepimus, uno, eo-
,, demque ordine, & certa ratione
,, ab omnibus inoffenſe obſervetur?
,, Ac primum quidem viſa eſt om-
,, nibus res eſſe prorſus indigna, ut
,, in ſanctiſſimæ hujus ſolemnitatis
,, celebratione conſuetudinem Judæo-
,, rum ſequeremur, qui cum manus
,, ſuas nefario ſcelere contaminarint;
,, merito impuri homines cæcitate
,, mentis laborant. Quippe rejecta il-
,, lorum conſuetudine, poſſumus re-
,, ctiori ordine, quem a primo Paſ-
,, ſionis die ad hæc uſque tempora
,, ſervavimus, ad futura etiam ſæ-
,, cula hujus obſervantiæ ritum pro-
,, pagare. Nihil ergo nobis com-
,, mune ſit cum inimiciſſima Ju-
,, dæorum turba. Aliam enim viam
,, a Servatore accepimus. Propoſi-
,, tus eſt ſacratiſſimæ religioni no-
,, ſtræ curſus legitimus, & honeſtus.
,, Hunc unanimi conſenſu retinen-
,, tes, ab illa turpiſſima ſocietate,
,, & conſcientia nos abſtrahamus...
,, Illud præterea conſiderandum eſt,
,, nefas eſſe, ut in tanti momenti
,, negotio, & in hujuſmodi religio-
,, nis ſolemnitate diſſenſio reperia-
,, tur. Unum enim liberatis noſtræ
,, feſtum diem, hoc eſt, diem,
,, ſacratiſſimæ paſſionis Servator no-
,, ſter nobis reliquit, unamque eſſe
,, voluit Catholicam Eccleſiam, cu-
,, jus membra licet variis locis diſ-
,, perſa ſint; uno tamen ſpiritu,
,, Dei ſcilicet voluntate foventur. ,,

Quæſtio igitur de Paſchatis die non ad fidem, ſed ad *obſervantiam ritus*, ad magni *momenti conſuetudinem*, ſive ad maximam Chriſtianæ religionis ſolemnitatem pertinuit: quas omnes Dallæus ſiniſtre confundens, id minime animadvertit, quod & Irenæus *Paſchæ Quæſtionem*, *ob quam S. Polycarpus Romam venerat*, a Fidei dogmatibus aperte ſecreverit; & hæc *ſola eſſe vera* eatenus declararit, quatenus eadem erroribus, ac falſitatibus, quas *Heretici* proferunt, opponuntur. Iſta ergo *vera* quidem putata, ſed haud neceſſaria a veteribus judicata fuiſſe, Dallæus ex S. Irenæo falſiſſime refert: quippe qui ſanctus vir affirmarit, *ſola* eſſe *vera*, atque adeo neceſſario credenda Catholica dogmata, utpote *ab Apoſtolis accepta* & *Eccleſiæ tradita*, ac *veritatis inimicis* Heterodoxis, quorum communionem Sanctus Joannes Apoſtolus, & Po-

(a) Hæc S. Irenæi verba ſunt, quæ ex ejus Epiſtola ad Victorem R. P. Euſebius excerpſit.

(b) *Euſeb. de vit. Imp. Conſt. lib. 3. cap. 18. pag. 528.*

(c) Hæc Conſtantini Magni ſunt dicta, quæ Euſebius ex illius Epiſtola *ad Eccleſias* attulit.

Digitized by Google

Polycarpus non tulerunt, omnino contraria. Nec vero idem Polycarpus illum morem celebrandi Paſchatis die Dominico lunam 14. ſequente aut in dubium revocavit, aut repulit. Quamquam enim inter Aſianos Epiſcopos, interque Eccleſiam Romanam, aliaſque Eccleſias illius *ritus* varietas fuit, quæ non ad fidem, ſed ad ſummam ejus feſti *obſervantiam* ſpectabat; & ideo Polycarpus Aſianorum ritum tenere voluit, quod eum *antea obſervaſſet*: attamen is ab Aniceto Summo Pontifice *pacem* accepit, quoniam ille huic Eccleſiæ Romanæ *morem retinendum* diſerte cenſuit, qui proinde Aniceti morem non in dubitationem adduxit, neque rejiciendum putavit, uti Dallæus confingit: ſed eundem morem a S. Petro Apoſtolorum Principe antiquiori cuique Romanæ Eccleſiæ *Presbytero* vere *traditum* eſſe, ac ſic neceſſario obſervandum pro variis temporibus poſuit, uſque dum de Judæorum more, quem Eccleſiæ initiis S. Joannes Apoſtolus in Aſia toleravit, Aſiani decederent: quandoquidem non hunc Aſianorum ritum Judaicum, ſed illum *Aniceti morem retinendum* eſſe, Polycarpus denuntiavit, referente Irenæo, qui in eadem Epiſtola, quam ad Victorem R. Pontificem ſcripſit, cujuſque verba a Dallæo ſubdole omiſſa nos partim alibi, partim hic ex Euſebio protulimus, non modo idipſum teſtificatus eſt; verum etiam *Paſcha die* illo *Dominico celebrandum defendit*; quod tutus non eſſet, niſi pro vario tempore & loco illud feſtum eo die neceſſario celebrari debere ex Apoſtolica traditione noviſſet. Quæ igitur Fidem Catholicam ſpectant, iſta ſemper eadem manent, Tertulliano declarante, & Dallæo concedente. Quod ergo aliqui Aſiani poſtea inciderunt in perturbationem veteris diſciplinæ: in hac certe Eccleſia Romana, & pleræque Eccleſiæ ita permanſerunt, ut poſt ejuſdem Victoris, & concilii Nicæni ſtatuta illo ipſo Dominico die Paſcha ab omnibus celebrari debeat & recoli.

Mitto Origenis Apologiam a Dallæo hic rurſus adductam; utpote quæ, ſicut antea vidimus, & Pamphilo Martyri ſuppoſita ſit, & erroribus magnis non careat.

Venio ad Euchariſtiæ communionem, quam parvulis neceſſariam a S. Cypriano putatam fuiſſe, Dallæus falſiſſime dicit, nullo adducto legitimo loco ipſius Cypriani, qui quidem illam neceſſitatem nullibi attigit, ſed in libro de Oratione Dominica S. Joannis Evangelium, in quo agitur de edendo Domini Corpore, pertractavit: & cum idolorum, falſorumque numinum vanitatem alibi exploſiſſet; etiam, contra quam (*a*) Dallæus falſe arbitratur de adultorum communione, qua verum Chriſti Corpus recipiunt, ſic egit: „Chriſtus eorum, (*b*) qui Corpus ejus „ contingunt, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie „ poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad „ cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, „ dum abſtenti, & non communicantes a cæleſti pane prohibemur,

(a) *Dal. lib.* 1. *c.* 2.

[b] *S. Cypr. in lib. de orat. Domin. pag.* [illegible]

„ a Chriſti corpore ſeparemur, ipſo
„ prædicante, & monente, (*a*) *ego*
„ *ſum panis vitæ, qui de cælo deſ-*
„ *cendi; ſi quis ederit de meo pane*
„ *vivet in æternum: Panis autem,*
„ *quem ego dedero, caro mea eſt*
„ *pro ſæculi vita.* Quando ergo dicit,
„ in æternum vivere, ſi quis ederit
„ de ejus pane, ut manifeſtum eſt,
„ eos vivere, qui Corpus ejus attin-
„ gunt, & Euchariſtiam jure Com-
„ municationis accipiunt, ita con-
„ tra timendum eſt, & orandum,
„ ne dum quis abſtentus ſeparatur
„ a Chriſti Corpore, procul rema-
„ neat a ſalute, comminante ipſo,
„ & dicente, *niſi ederitis carnem*
„ *Filii hominis, & biberitis ſangui-*
„ *nem, ejus; (b) non habebitis vi-*
„ *tam in vobis.* Et ideo panem no-
„ ſtrum, id eſt Chriſtum dari no-
„ bis quotidie petimus.

Hoc *jus communicationis* Euchariſticæ, quod adulti baptizati habent, etiam parvulis ſolo baptiſmate tribui, S. Auguſtinus, & S. Innocentius I. Pontifex volunt, adverſus Pelagianam hæreſim diſſerentes.

Cum enim parvuli ſine baptiſmo morientes, propter originale peccatum non perducantur ad vitam æternam; quam tamen Pelagius errans & iisdem parvulis eo modo defunctis pollicebatur, & a Dei regno ſecludebat: tum iſtum errorem S. Auguſtinus ita coarguit. (*c*) „ Conſentia-
„ mus auctoritati Sanctæ Scripturæ,
„ quæ neſcit falli, nec fallere; &
„ ſicut nondum natos ad diſcernen-
„ da merita eorum aliquid boni,
„ vel mali egiſſe non credimus; ita
„ omnes ſub peccato eſſe, quod per
„ unum hominem intravit in mun-
„ dum, & per omnes homines per-
„ tranſiit, a quo non liberat, niſi
„ gratia Dei per Dominum noſtrum
„ Jeſum Chriſtum, minime dubite-
„ mus: Unde niſi ex antiqua, ut
„ exiſtimo, & Apoſtolica traditio-
„ ne, qua Eccleſiæ Chriſti inſi-
„ tum tenent, præter baptiſmum,
„ & participationem menſæ Domi-
„ nicæ, non ſolum ad regnum Dei,
„ ſed nec ad ſalutem, & vitam æ-
„ ternam poſſe quemquam hominum
„ pervenire. Hoc enim & Scriptura
„ teſtatur, ſecundum ea, quæ ſupra
„ diximus. Nam quid aliud tenent,
„ qui baptiſmum nomine ſalutis ap-
„ pellant, niſi quod dictum eſt, (*d*) *ſal-*
„ *vos nos fecit per lavacrum regene-*
„ *rationis*, & quod Petrus ait, ſic (*e*)
„ *& vos ſimili forma baptiſma ſalvos*
„ *facit?* Quid aliud etiam, qui Sa-
„ cramentum menſæ Dominicæ vi-
„ tam vocant, niſi quod dictum eſt,
„ (*f*) *Ego ſum panis vivus, qui de Cœ-*
„ *lo deſcendi*, & *panis, quem ego de-*
„ *dero*, (*g*) *Caro mea eſt pro ſæculi vi-*
„ *ta*, &, (*h*) *ſi non manducaveritis car-*
„ *nem filii hominis, & ſanguinem*
„ *non biberitis, non habebitis vitam*
„ *in vobis?* Si ergo ut tot, & tan-
„ ta Divina teſtimonia concinunt,
„ nec ſalus, nec vita æterna ſine ba-
„ ptiſmo, & corpore, & ſanguine
„ Domini cuiquam ſperanda eſt:
„ fruſtra ſine his promittitur par-
„ vulis. Porro ſi a ſalute ac vita
„ æterna hominem niſi peccata non
„ ſe-

(a) *Jo 6.*
(b) *Jo. 6.*
(c) *S. Aug. lib. 1 de peccat. merit. & remiſſ. cap. 23. & ſequ. pag. 19. & ſequ. Tom. 2.*
(d) *Tit 3. v. 5.*
(e) *1. Petr. 3. 20.*
(f) *Jo. 6.*
(g) *ib. v. 52.*
(h) *ib. 54.*

„ ſeparant; per hæc Sacramenta non „ niſi peccati reatus in parvulis ſol- „ vitur: Non itaque dubitemus et- „ iam pro infantibus baptizandis „ ſanguinem fuſum, qui prius, quam „ funderetur, ſic in Sacramento da- „ tus eſt, & commendatus, ut di- „ ceretur, (*a*) *Hic eſt ſanguis meus, qui* „ *pro multis effundetur in remiſſio-* „ *nem peccatorum*. Negant enim il- „ los liberari, qui ſub peccato eſſe „ nolunt fateri."

S. Innocentius I. Pontifex Summus in epiſtola ad Concilium Milevitanum ait: (*b*) „ illud vero, quod „ eos veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præ- „ miis etiam ſine baptiſmatis gratia „ poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi „ enim manducaverint carnem filii „ hominis, & biberint ſanguinem „ ejus, non habebunt vitam in ſe- „ metipſis. (*c*) Qui autem hanc eis ſi- „ ne regeneratione defendunt, vi- „ dentur mihi ipſum baptiſmum vel- „ le caſſare, cum prædicant, hos ha- „ bere, quod in eos creditur nonni- „ ſi baptiſmate conferendum.

Deinde Alypius, & ipſe Auguſtinus contra nonnullos illo Pelagii errore captos iſta ad Paulinum ſcripſerunt: (*d*) „ Pelagius in Eccleſiaſtico ju- „ dicio, ut aliquo modo Catholicus „ pronuntiaretur, anathematizare „ compulſus eſt, infantes, etiamſi „ non baptizentur, habere vitam æ- „ ternam: hac enim negata, quid, „ niſi mors æterna remanebit? ac „ per hoc contra ſententiam Domi- „ ni diſputabit dicentis, *Patres ve-* „ *ſtri manducaverunt manna* (*e*) *in de-* „ *ſerto, & mortui ſunt. Hic eſt pa-* „ *nis, qui de Cœlo deſcendit, ut ſi* „ *quis ex ipſo manducaverit, non mo-* „ *riatur*. Non enim de iſta morte „ loquebatur, quam neceſſe eſt pa- „ tiantur etiam, qui de ipſo pane „ manducant. Et paulo poſt: *amen,* „ *amen dico vobis, niſi manducaveri-* „ *tis carnem Filii hominis, & bibe-* „ *ritis ejus ſanguinem, non habebitis* „ *vitam in vobis*, utique illam, quæ „ poſt hanc mortem futura eſt: Et „ contra Apoſtolicæ (*f*) Sedis au- „ ctoritatem; ubi de hac ipſa re „ cum ageretur, hoc teſtimonium „ adhibitum eſt evangelicum, ne „ parvuli non baptizati vitam poſ- „ ſe habere credantur: & contra „ ipſius Pelagii verba apud Epiſco- „ pos, a quibus audiebatur, expreſ- „ ſa, ubi anathematizavit eos, qui „ dicerent, infantes non baptizatos „ habere vitam æternam, quod pro- „ pterea commemoravimus, quo- „ niam quidem apud vos, vel in „ veſtra potius Civitate, ſi tamen „ verum eſt, quod audivimus, tan- „ ta pro iſto errore quidam obſtina- „ tione nituntur, ut dicant, facilius „ eſſe, ut etiam Pelagium deſerant, „ atque contemnant, qui hæc ſen- „ tientes anathematizavit, quam ab „ hujus ſententiæ, ſicut eis videtur, „ veritate diſcedant, ſi autem cedunt „ Sedi Apoſtolicæ, vel potius ipſi „ Magiſtro, & Domino Apoſtolo- „ rum, qui dicit, non habituros vi- „ tam in ſemetipſis niſi manducave- „ rint carnem Filii hominis, & bi- „ berint ſanguinem, quod niſi ba- „ ptizati non utique poſſunt. Nem- „ pe aliquando fatebantur, parvu- „ los non baptizatos vitam habere „ non

(a) *Math. 26. v. 28.*
(b) *S. Innoc. I. Epiſt. 30. pag. 898. edit. Pariſ. ann. 1721.*
(c) *Jo. 6*
(d) *S. Aug. Epiſt. 186. Tom. 2. pag. 867.*
(e) *Jo. 6*
(f) *Innoc. in Epiſt. cit.*

„ non poſſe. “

Demum S. Auguſtinus adverſus duas Pelagianorum epiſtolas, & hæreſes diſputans; de illa Innocentii I. epiſtola hæc protulit: „ quid illud, „ (a) quod idem Papa de hac ipſa cauſa etiam Numidiæ reſcripſit Epiſcopis, quia de utroque Concilio, „ & de Carthaginenſi ſcilicet, & de Milevitano ſcripta ſuſceperat; nonne apertiſſime de parvulis loquitur? hæc enim ejus verba ſunt; *illud vero, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis: qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt; videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare: cum prædicant, hoc habere, quod in eos credimus non niſi baptiſmate conferendum*. Quid ad hæc dicit ingratus, „ cui Sedes Apoſtolica jam ſua profeſſione quaſi correcto benigniſſima lenitate pepercerat? Quid ad hæc dicit? Utrum poſt hujus vitæ finem parvuli, etiamſi, dum vivunt, non baptizentur in Chriſto, in vita æterna erunt, annon erunt? Si dixerit, erunt, quomodo ergo quæ de nomine ejus jactata ſunt, ſecundum ſententiam beatæ memoriæ Innocentii ſe damnaſſe reſpondit? Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa ſine baptiſmo Chriſti, & ſine participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti vitam non habere parvulos dicit. Si dixerit, non erunt: „ quomodo ergo non accipicentes æternam vitam, utique conſequenter æterna morte damnantur, ſi nullum trahunt originale peccatum? quid ad hæc dicunt iſti, qui ſuas calumnioſas impietates audent etiam ſcribere, audent & Orientalibus Epiſcopis mittere? Tenetur Cæleſtius litteris Venerabilis Innocentii præbuiſſe conſenſum. Leguntur ipſæ memorati Antiſtitis litteræ ſcribentis, non baptizatos vitam parvulos habere non poſſe. Quis autem negabit id eſſe conſequens, ut mortem habeant, qui non habent vitam? Unde ergo in infantibus iſta miſerabilis pœna, ſi nulla originalis eſt culpa? „

Vide nunc, aliqua Magni Auguſtini pronuntiata a Dallæo omiſſa, alia corrupta, alia ſubdita eſſe.

Ecce S. Auguſtinus ait, ex *antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica traditione Eccleſiæ tenens* parvulorum communionem. At Dallæus prætermiſit illud *exiſtimandi* verbum, quo S. Doctor & cenſoris dolos amolitur, & Concilii Tridentini Patres bene locutos oſtendit, declarans, ſibi illam *traditionem* non certam, ſed dubiam, ac veriſimilem, atque adeo parvulorum communionem non neceſſariam viſam fuiſſe. Nam *exiſtimandi*, ſive putandi vox dubitationem haud tollit, ſed *inſitam* habet. Ac Dallæus quoque alias S. Auguſtini dicta partim depravavit, partim ſuppoſuit. Ubi enim S. Doctor advertit, quod *Innocentius Papa ſine baptiſmo Chriſti, & ſine participatione corporis, & ſanguinis Chriſti vitam non habere parvulos dicit*: hæc verba Dal-

læus

(a) *S. Aug. lib. 2. cont. duas Pelag. Epiſtolas c. 4. pag. 435. & ſeq. T. x.*

Digitized by Google

læus ita fallaciter tranſcripſit: *Innocentius parvulos definivit, niſi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorſus habere non poſſe:* cujus textus pars maxima neque in adducto capite IV. libri II. contra duas Pelagianorum Epiſtolas, neque in capite II. libri I. adverſus Julianum, quos libros, & capita Dallæus adlegat, reperitur; ac proinde illa S. Auguſtini verba ab ipſo Dallæo violata ſunt, atque ſuppoſita. Nunquam enim Innocentius, ut ex allata ejus Epiſtola conſtat, definivit, parvulos, niſi manducaverint carnem Filii hominis, vitam habere non poſſe: Nunquam id ab eo definitum eſſe protulit Auguſtinus: nunquam ergo Euchariſticam parvulorum Communionem neceſſariam eſſe, Innocentius, & Auguſtinus ſenſerunt, quorum quidem poſterior ait, *Corporis Chriſti participationem*, quæ parvulis eo tempore non negabatur, dummodo baptizati eſſent, ab Innocentio *dici*: ſed hoc dictum a vera ejus preſcribente definitione eo ſecrevit, quod Cæleſtius, qui parvulos non baptizatos poſt mortem in æterna vita futuros errore aſſerebat, *tenetur præbuiſſe conſenſum litteris Innocentii ſcribentis, non baptizatos vitam parvulos habere non poſſe*. Hæc igitur *ſcriptio* ab eo *dicto* diſtincta, illique errori oppoſita, in qua *Corporis Chriſti participatio* non ponitur, fuit definiens Innocentii præſcriptum; quippe cui *præbere conſenſum* Cæleſtius *tenebatur*. Non igitur Euchariſticam parvulorum baptizatorum Communionem quarto, & quinto ſæculo uſitatam, ſed Innocentii præſcriptum ab illa *Corporis Chriſti participatione* ſecluſum, quo ſcilicet *parvulos non baptizatos vitam* æternam *habere non poſſe* ſtatuerat, neceſſario *tenendum* eſſe, credidit Auguſtinus.

Cauſæ conſtitutione reperta, conſiderare, licet, jus communicationis, quod S. Cyprianus baptizatis omnibus tribuit, a parvulis baptizatis obtineri; quod Innocentius ſuis illis litteris voluit, etiam enuncleante Auguſtino; qui in adducta Epiſtola plures illo Pelagiano errore deceptos ex profeſſo retudit, ſimulque ea Domini verba, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, atque ipſum Innocentii decretum & de *vita poſt mortem futura*, & de accipiendæ Euchariſtiæ poteſtate, ſive jure, quod baptizati omnes habent, explicuit; & affirmavit, illum errorem *contra ſententiam Domini dici, & contra Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipſa re cum ageretur, hoc teſtimonium adhibitum eſt evangelicum; ne parvuli non baptizati vitam poſſe habere credantur: cedant Sedi Apoſtolicæ, vel potius ipſi Domino Apoſtolorum, qui dicit, non habituros vitam in ſemetipſis, niſi manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem; quod niſi baptizati non utique poſſunt, nempe aliquando fatebuntur, parvulos non baptizatos vitam habere non poſſe*.

Poſſe autem non uſum Euchariſtiæ, ſed hujus accipiendæ jus dicit, & poteſtatem; quam Auguſtinus univerſim baptizatis ſecundum ſententiam Catholicam tradit ea ratione, quod *manducare* Chriſti *Corpus* in Euchariſtia vere exiſtens, *niſi baptizati non poſſunt*, ex quo S. Doctor hæc duo non infert, nempe parvulos non baptizatos, & ipſius Corporis Chriſti non participes vitam æternam non habituros: ſed ex illo hoc unum dumtaxat colligit, *parvulos*

non

non baptizatos vitam habere non poſſe. Non ergo, ut quidam parvuli defuncti vitam æternam adipiſcantur, Euchariſtiam eis dandam, ſed baptiſmum ipſis, dum vivunt, neceſſario tribuendum eſſe, Innocentius, & Auguſtinus, contra Pelagianos docuerunt.

Porro S. Cyprianus ante hos clarus, & ideo antea laudatus, contra quam Dallæus, & aliqui recentiores comminiſcuntur, eum ſenſum non tenuit, ut vel parvulis baptizatis Euchariſtiæ Sacramentum neceſſitate ſalutis æternæ, dari debuerit, vel iidem tribus prioribus ſæculis Euchariſtiam perceperint. Neque enim S. Martyr de infantibus, ſed de adultis, qui ob *graviora peccata* ab Euchariſtiæ Communione ſejungebantur, verba fecit, non de Euchariſtiæ uſu, quo ipſi parvuli fruerentur, ſed de *jure Communicationis* expreſſe locutus: quod jus poſteriorum ſæculorum aliqui Patres baptizatis infantibus non ob Euchariſtiæ uſum, quem ii poſtea habebant, ſed ob baptiſma, quo donati fuerant, neceſſario tribuerunt, uſum illum non neceſſarium putantes.

Pergat vero reliquis cenſor; cui errorem iſtum eripiam, quo Patrum auctoritates, quæ ad probanda Catholica dogmata vim maximam afferunt, frangere fruſtra conatur.

Imprimis hoc certiſſimum eſt, ut, quæ Patres credenda frequenter proponunt, ea totidem ſint Chriſtianiſmi fundamenta: quæ vero paſſim refellunt; non ita rejiciunt, ut merum ſæpe ſpirent atheiſmum, ſed ut vel errorem, vel hæreſim imbibant.

Nam & S. Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Tertullianus in opere adverſus Judæos, & S. Hieronymus in Prophetarum commentariis, Meſſiæ, ſive Chriſti Divinitatem, & Humanitatem a verbo aſſumptam, paſſionem, mortem, reſurrectionem, ad novæ legis ſacrificium ex Prophetis oſtendunt; eaque ut Chriſtianæ fidei fundamenta docent credenda, & Judæorum non atheiſmum, ſed perfidiam fervido quidem, ac pio ingenio, piiſque vocibus increpant, ac ſimiliter quoſdam veram Chriſti reſurrectionem negantes ut Hæreticos, non ut Atheos, refutant. Ac S. Ambroſius, qui Prophetarum, Apoſtolorum, ac ſuperiorum maxime ſanctorum Patrum auctoritatem ſuſceperat, eoſque veluti Angelos fidem nuntiantes laudarat, Filii Dei, & Spiritus Sancti Divinitatem adverſus Hæreticos, qui ceu Dæmones ab inferis ſurgebant, tuitus eſt.

Et vero ex rebus creatis per ſe ſe dependentibus, exque mundi ordine, Deum exiſtere, Patres aliquoties demonſtrant: qua demonſtratione ſicut non Hæreticos, ſed Atheos refellunt, ita ſummis rationibus, quas ex Catholicæ regulæ dogmatibus colligebant, non Atheos, ſed Hæreticos improbant.

Ad hanc Fidei regulam S. Hieronymus, cujus ſenſa de continentia Dallæus in Parricidij crimine iniquius ponit, animum ſuum direxit, quo Montani errores a Fidei regula multum differre confirmavit, Marcellæ ita ſcribens: „ (a) Primum „ in Fidei regula diſcrepamus. Nos „ Patrem, & Filium, & Spiritum „ Sanctum in ſua unumquemque perſona ponimus, licet ſubſtantia co- „ pu-

(a) S. Hier. Ep. 41. pag. 186. Tom 1.

„ pulemus. Illi Sabellii dogma ſe-
„ ctantes, Trinitatem in unius perſonæ anguſtias cogunt. Nos ſecundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo jubente, ut viduæ adoleſcentulæ nubant: illi in tantum putant ſcelerata conjugia iterata, ut quicunque hoc fecerit, adulter habeatur. „

Quare S. Doctor in Epiſtola ad Furiam viduam non ſcripſit, iterata conjugia ſceleris, & parricidii, quæ a Dallæo finguntur, eſſe damnanda: ſed illam tantum admonuit, ut in continentis viduæ ſtatu conſiſteret: quod ipſum S. Doctor in Epiſtola ad Algeruchiam viduam, cujus animum iiſdem monitis advertebat, hoc clariori modo edisſeruit: „ (*a*) Quid igitur? Damnamus ſecunda Matrimonia? Minime. Sed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia Bigamos? abſit. Sed monogamos ad continentiam provocamus. „

Quid ergo vel Atheiſmi, vel parricidii, vel ſceleris excogitari poteſt, quod Dallæus non fingat? Hieronymus Sabellium, & Montanum reprehendit, non quod iſti Nebulones Deum exiſtere vel aliquando inficiarentur; ſed quia Divinarum perſonarum *Trinitatem in unius perſonæ anguſtias cogebant*, quæ hæreſis non illud Atheiſmum, ſed Sabellianiſmum exprimebat, declarante Hieronymo; cui etiam falſo cenſor affingit, quod a ſecundo matrimonio tanquam a Parricidio Furiam viduam avocaret; quam tamen S. Doctor ad continentiam dumtaxat provocavit, nunquam ſecundis nuptiis conceptis ut ſceleribus, & parricidiis; quia *ſecunda matrimonia minime damnavit*, ſed *conceſſit*, redarguens Montaniſtarum errorem; quo hæretici iſti *putabant*, *ſcelerata* eſſe *iterata conjugia*. Quis non cernit, hanc hæreſim, quam Hieronymus abjecit, ab Atheiſmo multum diſtare? Quis ergo cenſoris diverſa ſtudia, & figmenta in diſſimili errore non perſpicit? Hujus igitur commentum eſt, ab Hieronymo, aliiſque Patribus frequenter plures hæreſes non aliter exagitari, quam ſi merum Atheiſmum ſpirarent. Huc adde, quod Patres omnium eruditiſſimi magnum Atheiſmi errorem ab aliis erroribus, aliaſque hæreſes ab aliis plane ſecernentes, eos omnes errores diſtinctis diſputationibus, quas Dallæus in ipſorum Operibus inveſtigare poterat, exagitarint: quorum proinde vel plurium vel omnium communis doctrina hæreſibus confutandis, & credendis Fidei dogmatibus adhibenda eſt.

Equidem video cenſorem de via deflectentem, qui e ſuis illis commentis fallaciter colligit, unicam reſtare viam, nempe antiquiora generalia Concilia, e quibus ſingula Chriſtianæ religionis capita conſtare queant.

Hanc fallacem Dallæi argumentationem, qua & Patres Synodis univerſalibus vetuſtiores, & ſubſequentes in probandis dogmatibus falſiſſime excludit, eo primitus refutamus, quod, quanquam in antiquioribus Conciliis œcumenicis non omnia quidem, ſed aliquot Catholica dogmata adverſus quaſdam natas hæreſes declarata, ac definita fuere: nihilominus S. Auguſtinus in ſuperio-

(*a*) *S. Hier. Ep.* 123. *pag.* 901. *T.* 1.

rioribus ſæpe laudatus S. Irenæum, ac S. Cyprianum, qui Concilium I. Nicænum, & Conſtantinopolitanum I. ætate præiverant, & S. Ambroſium, ac S. Hieronymum, qui illa Concilia ſubſecuti fuerant, quoſque Dallæus perperam taxat, adlegavit, ex iiſque peccati originalis extantiam oſtendit adverſus Julianum non Athei, ſed Pelagii errore imbutum. Non ergo illa unica via patet; ſed pleraque omnia Fidei dogmata ex pleriſque Patribus, quorum teſtificationes ad illud Fidei caput, & ad alia monſtranda Auguſtinus attulit, ac quædam dogmata ex Conciliis illis evincuntur.

Age jam Dallæus hanc aliam viam ex iiſdem Synodis, quæ ab ipſo appellantur, dignoſcat; quarum prior Nicæna Synodus Filium Dei eſſe Patri conſubſtantialem ex Patribus anterioribus demonſtravit; & conſubſtantialis particulam Fidei expoſitioni, ac Symbolo inſeruit, teſtibus Euſebio, ac S. Athanaſio, quorum teſtimonia antea produximus. Concilium quoque & Epheſinum I. Œcumenicum, & Chalcedonenſe, & quintum, & ſextum, & ſeptimum, quorum verba ſæpe protulimus, contra Hæreticos plura dogmata ex multis Patribus adprobarunt, & definierunt. Sibi igitur veri judicium Dallæus adulterat, dum ſingula Chriſtianæ Religionis capita ex Conciliis, eorumque Symbolis, & Fidei expoſitionibus unice conſtare poſſe contendit, excluſis videlicet anterioribus, & poſterioribus Patribus, qui tamen cum ab ipſis Synodis non excludantur, immo ut Fidei teſtes producantur, quod in priori diſſertatione probavimus: certe Dallæus hos Patres iſto loco excludens, maxime errat.

Sed & illud idem ſeptima Synodus generalis ſenſit in *Refutatione* Iconomachorum, qui objicebant, quod in ſanctorum imaginibus idola colerentur; quam erroneam oppoſitionem Synodus ipſa primum ita coarguit: „ (*a*) Tam ſecundum ſcri„ pturas, quam mores Patrum ſcru„ tabiliter, ac ſyllogiſtice contra „ ſtultiloquia venientes, ſecundum „ Phinees mucrone ſpiritus, una re„ dargutionis plaga hos, qui ſibi „ in hac impietate conglobati ſunt, „ ſimul pungere ſtudeant. „ Ac deinceps hæc de ſacrarum imaginum cultu protulit: „ (*b*) Poſtquam ſan„ cta, & univerſalis ſexta Synodus „ facta eſt; uſque dum ipſi (*c*) con„ gregati ſunt contra venerabiles ico„ nas, non pluſquam ſeptuaginta „ præterierunt anni. Unde omnibus „ liquet, quod nequaquam in his „ annis imaginum picturæ ſunt tra„ ditæ; ſed in temporibus ſextam „ Synodum præcedentibus; & reve„ ra ab Apoſtolorum fuerunt præ„ dicatione, quemadmodum in omni „ loco ex ipſa viſione ſanctorum tem„ plorum ediſcimus, & Patres San„ cti teſtati ſunt, & hiſtoriarum „ perhibent relatores, ſalvanturque „ hactenus conſcriptiones eorum. In „ primo enim & quingenteſimo poſt „ expleta quinque annorum millia, „ Chriſtus Deus noſter ad homines „ veniens, & per triginta tres annos, „ & menſes pene quinque nobiſcum „ con-

[a] *Conc. VII. act. VI. pag. 1043. Tom. 8. Concil. Labb.*

(b) *ib. pag. 1055.*

(c) Hoc de Iconoclaſtis dicitur, non de Synodo ſexta

„ converſatus, magnum, & ſalutare Myſterium noſtræ redemptionis operatus eſt, ſicque ad cælos iter effecit, aſcendens procul dubio, unde deſcendit, præcipiens Apoſtolis docere omnia, quæ illos ipſe docuerat. A temporibus ergo iſtis uſque ad Conſtantinum Imperatorem, qui primus ex Chriſtianis regnavit, tranſierunt anni quaſi trecenti, cum prius tyrannidem pagani exercerent, quando ſcilicet plurimi Chriſtianorum bonum certamen certantes, Martyrio ſæculum hoc derelinquebant, adverſus idola inſurgentes. Chriſtianorum vero copia divino zelo commota, templaque conſtruentes quidam in nomine Chriſti, quidam vero in honore Sanctorum, alii humanitatis in eis Chriſti Dei noſtri acta, alii autem certaminis Martyrum narrationes coloribus exarabant: alii autem in tabulis ſemper memoriam ferre volentes, in eis deſiderati Martyris imaginem depingebant, vel etiam ipſius Chriſti. Sed & in ſacris veſtibus, & cimeliis imagines tam a Sanctis Patribus noſtris, quam a piis viris depingebantur, & ipſis incruenta ſacrificia celebrabant: & uſque ad nos hæc omnia liquido demonſtrata ſunt, & permanent in æternum. Et certe etiam hæreſibus exortis, felle, ac amaritudine plenis adverſus Eccleſiam, ſed & ſex Synodis univerſalibus Dei nutu per diverſa tempora in earum everſionem congregatis, πάντα (a) τὰ Παραδοθεῖτα ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησία omnia hæc tradita in catholica Eccleſia, ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto ab antiquis temporibus, una cum ſanctarum quoque imaginum demonſtratione, corroborata ſunt & ſtatuta. „

Ac mihi quidem in iſta omnia intuenti quærendum videtur, quid ſit, cur Dallæus eorum contextum omittat? Nam quocumque iſte ſe animo, & cogitatione converterit: ſemper cum *Patres Sanctos*, qui *ſanctarum imaginum picturas ab Apoſtolorum prædicatione* fuiſſe *teſtati* ſunt, tum *Hiſtoriarum relatores*, a *ſex Synodis univerſalibus* diſtinctos, *eorumque conſcriptiones* ab ipſarum *ſtatutis* ſecretas videbit: quibus ſcriptis ſeptima Synodus ſacrarum imaginum uſum *antiquum*, & cultum evicit; qui octavo ſæculo in apertum erupiſſe a Dallæo errante dicuntur; cum illos & *Apoſtoli* prædicarint, & *teſtati ſint Sancti Patres* eo ſæculo anteriores, quos nempe eadem ſeptima Synodus eo ſæculo celebrata ut ſe antiquiores, ſicut antea vidimus, in medium propoſuit. Tantum igitur veterum auctoritates apud ſeptem priora generalia Concilia valuerunt, ut iſthæc illas non excludentia, ſed maxime adhibentia, aliquod Fidei dogma, de quo in hæreticos agebant, apte firmarint.

Ex iis porro non ſequitur, ut ea Fidei capita, quæ in antiquis ſex Conciliis non habentur, Eccleſiæ ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto tradita haud fuerint. Neque enim Dallæus illa *quæcumque* de actorum græcorum ſeptimi Concilii medio ſumpſit, ſed commentus eſt. Nam eadem Synodus, ait, πάντα τὰ παραδοθεῖτα *omnia* hæc tradita: *hæc* autem ad priorem proximum textum neceſſario

re-

(a) Interpres latinus perperam τὰ vertit *quæ*; cum τὰ ſignificet *hæc*.

Digitized by Google

referuntur, ab eoque adeo reſtringuntur, ut aperte denotent, *omnia hæc*, quæ in illis ſex Synodis continentur, quæque *exortarum hæreſum* everſionem inferunt, *Eccleſiæ Catholicæ antiquitus tradita* eſſe: quæ proinde ſimpliciter non ſunt omnia, & quæcumque Fidei decreta, ſed aliquot adverſus quaſdam *hæreſes exortas ſtatuta* ac ſic alia Fidei dogmata, quæ nec omnino, nec quadamtenus in ſex prioribus univerſalibus Conciliis habentur, ab antiquis Patribus tradita ſunt; quorum traditione, & auctoritate etiam Synodus ſeptima ſacrarum imaginum cultum vicit, atque definiit.

Itaque non omnia Fidei dogmata, ſed plura in celebrato Symbolo, & in Concilii Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis, quinti, ac ſexti canonibus reperiuntur; quæ Concilia non tam & ad Fidei regulam a Tertulliano laudatam, & ad expoſitionem illam, quam vetuſtatis teſtamentum S. Epiphanius apellat, & ad Synodicam Sophronii Epiſtolam, in quibus aliqua tantum Fidei capita ſunt; quam ad conſtantem Patrum doctrinam palam ſuas direxerunt ſententias, ut conſtaret, pleraque omnia Fidei Catholicæ dogmata ex illorum Patrum præcedentium, & ſubſequentium documentis, & quædam ex illis regulis, exque vetuſtis æcumenicis Conciliis demonſtrari; quorum unum (*a*) Nicænum primum de Sacramentorum maximo, quod Dallæus errore in controverſiam, & dubium vocat, haud ſiluit, affirmans, in *Euchariſtia dari Corpus Chriſti*. Hic Dallæus ab artificio ſuo non receſſit, dum falſo dixit, quod veterum Synodorum Præſules, nullum illorum dogmatum, quæ hodie creduntur, poſuerint in ſuis Conciliorum capitibus, quæ veluti catalogi eorum ſunt, quæ neceſſaria cenſuerunt. Cum autem Nicæna I. Synodus canone XVIII. illud dogma, quo *Corporis Chriſti* extantia in Euchariſtiæ Sacramento creditur, diſerte protulerit; nullaque die eo ſilentia, quæ Dallæus ſimulat, egerit: profecto idem dogma neceſſario credendum, uti etiam Dallæus ipſe illis ſuis verbis ſignificat, docuit. Ac ſi quis ſuperiora, in quibus de eodem Nicæno Concilio, deque Patribus iſto anterioribus locuti ſumus, attentius obſervaverit: iterum argutatorem retundet; qui & Patres, a quibus Catholica dogmata hodieque credita traduntur, temere excludit, & ex eo, quod illæ breves Tertulliani, aliorumque regulæ, ſive Fidei expoſitiones de horum dogmatum aliquibus ſileant, falſo arguit, hæc in Eccleſiæ fide olim non fuiſſe; quod falſiſſimum eſſe ex illa Tertulliani regula evincitur; in qua minime habetur, Dei Filium Patri eſſe conſubſtantialem; quo ex ſilentio non ſit, ut id in Eccleſia Apoſtolica creditum haud fuerit; cum, ut dixi, Nicænum Concilium a Patribus anterioribus, atque, ut Euſebius loquitur, a *veteribus* ipſum Conſubſtantialis dogma traditum fuiſſe docuerit. Sic aliæ Synodi æcumenicæ, præſertim Epheſina, & Calcedonenſis, ſua fidei decreta, quæ in iiſdem brevioribus expoſitionibus non extabant, ex pleriſque Patribus patere monſtrarunt: qua demonſtratione Dallæi ar-

(a) *Vide Canonem 18. Nicæni I. Concilii pag. 42. Tom. 2. Concil Lab.*

argumentum premitur, ac refutatur: etſi enim quædam fidei capita in illis brevibus regulis non apparent: tamen in veterum libris extant, ac proinde olim & ſemper credita fuiſſe in Eccleſia ſie evincuntur, ut non in probabilitatis, ſed neceſſitatis gradu collocanda ſint, atque tenenda; quod facillime conſtituitur, eaque firma ratione concluditur; quia ſicuti laudatæ Synodi generales Fidei ſtatuta de Chriſto Deo, & Homine fecerunt, eademque neceſſario credenda oſtenderunt ex multis antiquioribus Patribus: ita, quoniam paſſim ipſi Patres plerique, & quadamtenus ex illarum Synodorum aliquæ extantiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, & alia Sacramenta, aliaque Fidei capita docuerunt; hæc certe non in probabilitatis, ſed neceſſitatis gradu poni debent & credi.

Atque ut reliqua, quæ Dallæus in ſuis ſequentibus capitibus repetit, & obtrudit, brevi diluam: rurſus adnoto, tria diſſertationum genera, de quibus primum diximus, ſejungi oportere; quorum prius ea Fidei dogmata continet, de quibus Chriſtiani omnes non dubitabant, ſed ipſa univerſi firmiter aſſerebant: in altero autem genere res illæ ponuntur, quas quidem ab Apoſtolis traditas fuiſſe, Chriſtianorum plerique affirmabant: ſed, cum ab Eccleſia nondum diſcretæ eſſent ac definitæ: idcirco unus, aut alter ſcriptor privatus de illarum aliqua ante Eccleſiæ decretum aliquantum ambegit, eaſdem res haud plene diſcernens.

Quare vel omnes Catholicos Patres, vel pleroſque, hoc eſt, majorem eorum partem hic ſimul accipimus: atque ipſorum pleroſque ab uno, & altero privato Scriptore diſtinguimus: ac priori ſenſu illos conjunctim ſumimus; poſteriori autem ſeorſim, ſive pleroſque ab uno, vel alio ſecretos intelligimus; quibus auctoribus aut omnibus, aut plerisque in probando quolibet Fidei dogmate uti debemus; quando quidem iidem ſeu priori, ſeu poſteriori modo accepti, ſunt pro teſtimonio publico doctrinæ a Chriſto, & ab Apoſtolis inſtitutæ.

„ At Dallæus ait, (a) cum agitur de „ rebus judicatis, & diſerte ab Ec„ cleſia receptis, & creditis: „ Pa„ tres documenta Eccleſiæ publica „ ignoraſſe, aut cognita ſecutos non „ fuiſſe, parum ſit veriſimile. E. g. „ cum Athanaſius, Ambroſius, Hie„ ronymus, Auguſtinus, & alii, „ cum de Filio Dei agunt, Fidem „ Eccleſiæ in his ſecuti ſunt; nam „ de hoc capite certa, & indubita„ ta erat Eccleſiæ ſententia, adeo „ ut, quicquid de eo dicunt, pro „ Fidei Eccleſiæ teſtimonio haben„ dum ſit. Eadem eſt ratio reliquo„ rum omnium capitum, ſeu in ſym„ bolis haberentur, ſeu in quocum„ que alio publico Fidei Eccleſiaſti„ cæ monumento extarent. Verum „ in rerum veritate inquirenda ne„ ceſſe habuerunt ingenii ſui luce „ uti, & in medium privatam ſuam „ ſententiam aſſerre; ex qua Roma„ næ Eccleſiæ Doctores varios e Pa„ tribus objectos locos ſolvunt, qui „ Joannem XXII. hac ratione ex„ cuſant. Is animas Deum non vi„ ſuras, niſi poſt omnium reſurre„ ctionem, dixerat " ſine periculo „ hæreſeos, cum nulla adhuc præ„ ceſ-

[a] *Dall. lib. 1. de uſu Patr. c. 12. pag. 108. & ſeq.*

„ ceſſiſſet Eccleſiæ definitio. Eandem
„ methodum adhibet Nicolai I. ſen-
„ tentia concedentis baptiſmum in
„ nomine Jeſu Chriſti. Hieronymus
„ Tobiam e canone rejicit, quia
„ nondum aliquid ſtatutum fuerat.
„ Cum ergo liquido conſtet, Patres
„ privatas ſuas opiniones in medium
„ attuliſſe, quas non aliunde, quam
„ a ſeipſis habuerant, neque ex Ec-
„ cleſiæ ſchola hauſerant: quis non
„ videt, antequam eorum ſententiis
„ fidem habeamus, oportere, ut no-
„ bis conſtet, cujuſnam indolis ſint,
„ an ex ſua ipſorum privata, an ve-
„ ro ex recepta ſui ſæculi ſententia
„ locuti ſint? (*a*) Cum ergo hic de
„ Fide agatur; nobis neceſſe eſt de
„ univerſalis Eccleſiæ ſententia con-
„ ſtare, quod in hoc argumento pa-
„ rum valeat ſingularum ſeorſim Ec-
„ cleſiarum ſententia. Hanc autem
„ Eccleſiæ univerſalis a particulari
„ diſtinctionem neceſſariam eſse, ex
„ eo manifeſtum eſt, quod cum opi-
„ niones, tum mores, & inſtituta
„ Patrum, & apud pleroſque Chri-
„ ſtianos recepta, non ſemper tamen
„ in quibuslibet particularibus Ec-
„ cleſiis locum habuerunt, ut ex hi-
„ ſtoria conſtat, (*b*) Eccleſias mino-
„ ris Aſiæ alio, quam cæteros Chri-
„ ſtianos, die Paſcha celebraſſe.
„ Maxima Chriſtianorum pars Hæ-
„ reticorum baptiſma valere exiſti-
„ mabat, neque eos, qui abdicata
„ hæreſi in communionem ſuam con-
„ cedebant, rebaptizabat, (*c*) ut ex
„ eo patet, quod Cyprianus agno-
„ ſcit, in ipſis Africans Eccleſiis
„ eum morem alias obtinuiſse. Et
„ tamen ex omni ætatum memoria
„ in contraria fuiſse cum ſententia,
„ tumpraxi(appadocum Eccleſias (*d*)
„ teſtatur Firmilianus Cæſareæ Ar-
„ chiepiſcopus. Tertulliano ſuperſti-
„ te Romæ, ſcortatores, & adulteri
„ pœnitentia quadam, quæ ipſis im-
„ ponebatur, defuncti, ad commu-
„ nionem admittebantur. Tertullia-
„ nus Montaniſta factus reclamat ve-
„ hementiſſime; librumque, qui
„ etiam num extat, pro contraria
„ ſententia edidit. Quis eum legens,
„ non exiſtimet, apud omnes tum
„ Catholicos uſu receptum fuiſſe,
„ hujuſmodi peccatores ad pœniten-
„ tiam, & pacem Eccleſiæ admit-
„ tere? (*e*) Et tamen ex quadam Cy-
„ priani Epiſtola conſtat, nonnullos
„ Catholicos Africæ Epiſcopos in
„ contraria ſententia fuiſse. Pacia-
„ nus Barcinonenſis Epiſcopus ve-
„ niæ, & abſolutionis Eccleſiaſticæ
„ ſpem omnem præcidit Idololatris,
„ homicidis, & adulteris, ut cui-
„ libet ex ejus ad pœnitentiam Pa-
„ rænesi conſtare poteſt. Synodus
„ Laodicæna decernit, ut Eccleſiis
„ libri, qui ſunt extra Canonem non
„ legantur, ſolos Canonicos veteris
„ & novi Teſtamenti legendos defi-
„ niens, quos deinde recenſet; veteri
„ Teſtamento nonniſi viginti duos
„ adſcribens: ſuppreſſis Eccleſiaſtico,
„ Sapientia, Macchabæis, Judith &
„ Tobia. Non ſic tamen viſum eſt
„ Patribus Africanis Carthagine in
„ (*f*) Synodo congregatis anno Do-
„ mini 397. Nam inter libros, quos
in

[a] *Dallaus hæc addit ibidem cap. 2. pag. 186.*
[b] *Euſ. lib. v. c. 21. Hiſt. Eccl.*
(c) *Cyp. Epiſt. 79.*
(d) *Firm. Epiſt 71. apud Cypr. ep.*
(e) *Cyp. Epiſt. ad ant.*
(f) *Syn. Carth. 3.*

,, in Eccleſiis legi concedunt, Mac-
,, chabæos, Judith, Tobiam, Ec-
,, cleſiaſticum, & Sapientiam recen-
,, ſent. Poſſem huc multa alia exem-
,, pla congerere: ſed hæc ſufficiunt,
,, ut doceamus, ſententias, & con-
,, ſuetudines a quibuſdam Eccleſiis
,, receptas, non ſtatim omnium fuiſ-
,, ſe. Satis eſt, quod ex eo ſequi-
,, tur, tibi, priuſquam Patris cujuſ-
,, piam ſententia uti poſſis, proban-
,, dum eſſe, non ſolum quod is cum
,, ſui temporis Eccleſia ſenſerit, ſed
,, eam, cum qua ſenſit, Eccleſiam
,, univerſalem fuiſſe. Cum (a) Patres
,, eo conſilio ſcripſerint, ut nos do-
,, cerent, non tam quæ ſui ſæculi
,, eſſet, quam quæ omnium eſſe de-
,, beret Fides, pro certo tenendum
,, eſt, non eſſe ab iis prodita quæ-
,, cumque de ſui temporis ſcitis, ac
,, placitis cognita habebant. Huc ac-
,, cedit, quod diſſimulaſſe eos veri-
,, ſimile, eſt, quæcumque aliorum
,, dogmata ipſi velut falſa reſpue-
,, bant, feciſſeque eos in dogmatis,
,, quod a ſe in ritibus factum te-
,, ſtatur Auguſtinus: (b) *quod* in-
,, quit, *inſtituitur præter conſuetu-*
,, *dinem*, ut *quaſi obſervatio Sacra-*
,, *menti ſit*, *approbare non poſſum*,
,, *etiamſi multa hujuſmodi propter non-*
,, *nullarum*, *vel ſanctarum*, *vel tur-*
,, *bulentarum perſonarum ſcandala*
,, *improbare non audeo*. Atque huc
,, pertinet illud Hieronymi de quo
,, rumdam magni nominis Patrum
,, placitis, (c) *quæ licet*, inquit, *non*
,, *ſequamur*, tamen *damnare non poſ-*
,, *ſumus*. Patrum iſtorum, de qui-
,, bus (d) agimus, nonnemo do-
,, cuit, *plerumque clerum erraviſſe*,
,, *Sacerdotes nutaviſſe*, *populum fidem*
,, *propriam reſervaviſſe*. (e) Cyprianus
,, quidem docet, Eccleſiam ſui tem-
,, poris magnam variis in locis ejus
,, rationem habuiſſe, adeo ut nihil,
,, quod eſſet alicujus momenti abſque
,, populi ſententia gereretur, ut in
,, ejus Epiſtolis videre eſt. Certe
,, quæſtio de baptiſmo hæreticorum
,, in Synodo Carthaginenſi, præſen-
,, te etiam plebis maxima parte,
,, agitata fuit. Sed, quod nuper
,, æſtimavi, id nunc aliquot exem-
,, plis illuſtrandum eſt. Epiphanius
,, adverſus (f) Aerium, quem in
,, hæreſiarcharum numerum refert,
,, Epiſcopum ex Pauli ſententia, &
,, rei ipſius inſtitutione Præsbytero
,, antecellere probat, ſingillatimque
,, objectiones confutat. Facile Epi-
,, phanio credes in ea tum ſententia
,, fuiſſe omnes Eccleſiæ Doctores.
,, At ecce Hieronymum Epiphanii
,, æqualem, qui liquido docet, (g)
,, *veteres eoſdem Epiſcopos*, & *Præſ-*
,, *biteros fuiſſe*, *quia illud nomen*
,, *Dignitatis*, *hoc ætatis erat*. Objicis,
,, Hieronymum religioſum reliquia-
,, rum cultum laudare, & probare.
,, (h) Sed ipſe, teſtatur, Epiſcopos
,, fuiſſe, qui contra cum vigilantio
,, ſentirent. Quis ſcit, qui, qualeſ-
,, que viri fuerint, & annon digni,
,, qui pluris fierent. Quam longe
,, hoc pateat: lectori expendendum
,, relinquo. Cum ergo fieri nequeat,
,, ut nobis ex Patribus certo con-
,, ſtet, quæ fuerit ſententia veteris
,, Ec-

[a] *Dall. ib. cap. vi. pag. 191.*
(b) *Aug. Epiſt. ad Januar.*
(c) *Hier. lib. iv. in Hier.*
(d) *Ambr. ſerm. 57.*
(e) *Cypr.*
(f) *Epiph hær. 75.*
(g) *Hier. Ep. 85.*
[h] *Hier. in Vig.*

„ Eccleſiæ, ſeu eam pro omnibus „ Fidelibus, ſeu pro Præſulibus accipias: concludo, ad probandam „ veritatem eorum capitum, quæ „ hodie vocantur in controverſiam, „ veterum ſcripta parum valere. „

Expendat Dallæus, ac cernat, quam confuſa, quam erronea, quamque nulla ſit iſta argumentatio, qua ipſe primum fatetur, Definitionem illam, quam de Filio Dei Nicæni Præſules ediderunt, quamque poſteriores veteres ſecuti ſunt, certam eſſe & indubitatam veteris Eccleſiæ ſententiam, &, quod SS. Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus de eodem Dei Filio, deque reliquis omnibus Fidei Capitibus dicunt, pro Fidei Eccleſiæ teſtimoniis habendum eſſe; ſive quæ in Symbolis haberentur, ſive quæ in quocumque monumento Eccleſiaſtico exſtarent. Evolvat igitur cenſor libros Patrum modo laudatotum, qui aut definita Fidei capita, quæ in Symbolis, ac generalium Synodorum Canonibus continentur, aut cætera dogmata Orthodoxa, quæ publicis ſcriptis Eccleſiaſticis illuſtrantur, ex plurium antiquiorum ſanctorum authoritate probarunt; quæ certo ad oſtendenda illa, & reliqua dogmata, quæ adverſus recentes hæreticos Catholica Eccleſia ſtatuit, plurimum valet ea ratione, quod ſicut illa, ita hæc publicis vetuſtiſque Eccleſiaſticæ Fidei monumentis, quæ Dallæus generatim hic præbet, mandata fuere.

Quocirca Romanæ, & catholicæ Eccleſiæ Doctores non tam ingenii ſui luce quam multis veteribus Eccleſiaſticis auctoribus uſi: ad vincenda ſacra dogmata, & ad veritatem pernoſcendam non privatas, ſed publicas, atque communes eorum ſententias in medium afferunt, dum Juſtorum animas, quibus poſt mortem nihil luendum ſupereſt, ſtatim Deum viſuras evincunt ex (a) SS. Ignatio Martyre, Polycarpo, Juſtino, Cypriano, Baſilio, utroque Gregorio, Nazianzeno, & Nyſſeno, Joanne Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, ac demum ex S. Bernardo.

Quam firmam Patrum vetuſtiorum ſententiam Joannes XXII. minime fregit; qui, antequam ea res definiretur, ipſam cauſam ingreſſus eſt, nihil aſſerendo, ſed quærendo tantum, ac diſputando, ſicut (b) Ulricus Doctor Germanus teſtatur his verbis: „ Si ſermo Papalis pie, & „ ſane intelligitur, non proprie ſer„ mo, nec definitio, nec determi„ natio, ſed magis quaſi quædam „ ſcholaſtica diſputatio, aut diſpu„ tantium collatio eſſe perpenditur. „ Id ipſum (c) Theologi Pariſienſes ſignificant, affirmantes, ſe multorum Fide dignorum relatione audiviſſe, quod quicquid in hac materia Sanctitas ſua dixit, non aſſerendo, ſed opinando protulerit. (d) Ac Ptolomeus Lucenſis hæc de eodem Joanne conſcribit: „ In Conſiſtorio pro„ teſtatus eſt coram Cardinalibus, „ Prælatis, & Capellanis, quod in „ hac prædicta quæſtione nihil de„ finiendo, ſed recitando dixerat. „ Denique ipſe Joannes in Profeſſione

(a) *Legere eſt horum textus apud Tournel. Tom. 1. pag. 273.*

(b) *Ulr. lib. 24. apud Raynal. ad an. 1331. num. 45.*

(c) *Vide Nangii continuatorem Tom. 2. ſpicil.*

(d) *Ptol. Luc. lib. 24. Hiſt. cap. 42. apud Raynal. ib.*

ne (*a*) Fidei, quam morti proximus edidit, ait: „ Fatemur, & credimus, quod animæ purgatæ ſeparate a corporibus ſunt in cœlo... „ & vident Deum, ac Divinam eſſentiam facie ad faciem clare. „ Nullam igitur privatam ſententiam Joannes pronuntiavit; ſed primum eadem de re, quæ tunc definita non fuerat, private *opinando*, *non aſſerendo*, atque adeo ſine hæreſis periculo ita *diſputavit*, ut poſtea morti proximus *faſſus ſit*, & *crediderit*, quod *animæ purgatæ*, & *ſeparatæ clare videant Divinam* eſſentiam facie ad faciem, quemadmodum Sacræ Scripturæ, ac Patres loquuntur.

Aliam vero explicandi methodum adhibemus Nicolai I. doctrinæ, qui nomine Chriſti baptiſma a Chriſto inſtitutum intellexit ſecundum Acta Apoſtolorum, & SS. Ambroſium, & Auguſtinum, e quibus latiores quædam ad inveniendam enodationis rationem viæ reperiuntur.

Nam S. Petrus Apoſtolorum Princeps quibuſdam Judæis qui ſe in Chriſti fidem tradiderant, dixit (*b*): „ Baptizetur unuſquiſque veſtrum in „ nomine Jeſu Chriſti in remiſſio„ nem peccatorum veſtrorum, & ac„ cipietis donum Spiritus Sancti. „

S. Ambroſius unam, eandemque Patris, & Filii, & Spiritus Sancti poteſtatem eſſe demonſtrans, iſta perſcribit: „ (*c*) Qui benedicitur in Chri„ ſto, benedicitur in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti: quia „ unum nomen eſt, poteſtas una... „ Cum enim dicitur in nomine Do„ mini noſtri Jeſu Chriſti; per uni„ tatem nominis impletum Myſte„ rium eſt, nec a Chriſti baptiſma„ te ſpiritus ſeparatur. „

S. Auguſtinus Paganorum ritus improbans, ait: „ (*d*) in multis Ido„ lorum ſacrilegis bapizari homines „ perhibentur. „

Tandem Nicolaus I. cuidam interrogationi Bulgarorum, qui Chriſtianam religionem nuper amplexi erant, hoc dedit reſponſum: „ (*e*) „ a quodam Judæo, neſcitis, utrum „ Chriſtiano, an Pagano, multos „ in patria veſtra baptizatos aſſeri„ tis; & quid de his ſit agendum „ conſulitis. Hi profecto ſi in no„ mine ſanctæ Trinitatis, vel tan„ tum in nomine Chriſti, ſicut in „ actis Apoſtolorum legimus, bapti„ zati ſunt; unum quippe idemque „ eſt, ut Sanctus exponit Ambroſi„ us... Conſtat, eos non eſſe ba„ ptizandos. „

Cum itaque Bulgari *neſcirent*, *utrum Judæus* ille, qui Gentilibus, ſive infidelibus idololatris immixtus multos baptizarat, *Chriſtianus* eſſet, *an Paganus*: cumque Pagani *idolorum ſacrilegis baptizare perhiberentur*: idcirco Nicolaus particula *tantum*, quæ ad ſuperiorem dubium baptiſmi miniſtrum refertur, rejecit baptiſma a *Pagano* confictum, & aliud in *Chriſti nomine*, ſive auctoritate inſtitutum, ſicut ea verba in *Apoſtolorum actis* extantia exponuntur, *tantum* admittendum inſinuavit: quod *baptiſma Chriſti*, ut Sanctus Ambroſius exponit, & Nicolaus ſubjungit, *unum*, *idemque eſt* atque illud *in nomine Sanctæ Trinitatis* ſtatutum a

[a] *Ap. Rayn. num. 36, ad an. 1336.*
[b] *Act 2. v. 32.*
[c] *S. Ambr. lib. 1. de Spir. San. cap 3.*

(d) *S. Aug. lib. 6 de bapt. contr. Don. cap. 25.*
(e) *Nicol. I. in Reſp. ad conſ. Bulg.*

Chriſto. Ac proinde Nicolaus non in ſolo Chriſti nomine, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *ſive Sanctæ Trinitatis*, baptiſma conferendum, prout *Chriſtus* præſtituerat, ea conſequenti ratione adſignificavit.

Dehinc ad Tobiæ librum, alioſque quod attinet: ii ſacri demonſtrantur ex majori parte Eccleſiaſticorum auctorum, quorum *plerorumque* rationem (*a*) Euſebius ſupra commendatus adhibuit, quo nonnullos novi Teſtamenti libros, de quibus aliqui ante conditum Canonem diſputabant, Divinos oſtenderet. Hoc igitur modo Judith, Tobiæ, Eccleſiaſtici, Sapientiæ, & Macchabæorum libri, quos Dallæus extra ordinem repetit, ſacri evincuntur. Primum enim ex (*b*) Judith libro ut ſacro S. Paulus Apoſtolus, (*c*) S. Clemens I. Romanus Pontifex, (*d*) Clemens Alexandrinus, (*e*) Origenes, (*f*) S. Ambroſius, (*g*) S. Hieronymus, (*h*) S. Auguſtinus, aliique teſtimonia attulerunt; eumque librum in ſacris Concilium Carthaginenſe (*i*) tertium, ipſe Auguſtinus, & (*k*) Innocentius I. Pontifex ſummus numerarunt. (*l*) Librum autem Tobiæ ut *Divinam Scripturam* S. Cyprianus, (*m*) S. Baſilius, (*n*) S. Ambroſius, Concilium Hipponenſe, idem Carthaginenſe, (*o*) Auguſtinus, & Innocentius I. laudarunt ac (*p*) S. Hieronymus ipſum Tobiæ librum ab *Hebræis* inter *Hagiographa* numeratum teſtatur: qui proinde cum iſtum, ac reliquos libros, qui a SS. Matthæi, & Joannis Evangeliis, atque a multis Patribus adlegantur, in Canone receptos non fuiſſe dixerit: certe priorem Canonem ab Eſdra obſignatum intellexit, eoſque *Sacrorum* librorum numero non exemit. Quamvis enim de illis aliquando diſſeruerit, antequam in Eccleſiæ Canone ponerentur: non tamen privatam ſuam opinionem quaſi firmam in medium attulit, ſed ex antiquorum *Hebræorum*, & Eccleſiaſticæ Theologiæ fonte ipſos libros repetiit, faſſus, eos *Hagiographos* eſſe (*q*) atque *Divinos*; in quo Hieronymus Evangeliis illis, & antiquis Patribus conſonus extitit. Atenim Dallæus nunquam ſuorum dictorum congeriem in ordinem cogens; poſtea Africanæ, ſive Carthaginenſi illi Synodo Laodicenam opponit, & ab iſta xxii. veteris Teſtamenti libros tantum numeratos falſo contendit; quippe quem numerum Laodicena (*r*) Synodus in canone ſuo, quem antea exibuimus nequa ; poſuerit, ſed generatim veteris, ac novi Teſtamenti libros legendos dumtaxat edixerit.

Quare illud advertendum eſt, quod priora Eccleſiæ ſæcula non in privatam opinionem, quam unus, vel alter ſcriptor ante Eccleſiæ definitionem habuit, ſed in complurium Patrum ſententiam adducta fuere, utpote quam Euſebius, S. Athanaſius, S. Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, quos ſupra laudavimus, cer-

[a] *Vide Diſſertat.* II. §. 3.
[b] *Ap.* 1. *ad Cor. c.* 10.
[c] *Clem.* 1. *in prima Ep. ad cor.*
[d] *Clem. Alex.* 3. *ſtr.*
[e] *Orig. hom.* 19. *in ter.*
[f] *S. Amb. lib.* 3. *de offic.*
[g] *S. Hier. Ep. ad Fur.*
[h] *S. Aug. lib.* 2. *de doct. Chr.*
[i] *Carth.* III. *can.* 57.

(k) *Innoc. I. in Ep. ad Exup.*
(l) *S. Cyp. in lib. de op & Elem.*
(m) *S. Baſil. hom. de avar.*
(n) *S. Ambr. lib. 6. Hex. c. 4. conc. Hip. can.*
(o) *Carth. can.* 47.
(p) *S. Hier. Præfat. in Tob.*
(q) *Hier. in cit. Præf. & in Epiſt. ad Jul.*
(r) *Videſis Diſſ.* IV. §. 1. *pag.*

certo tenuerint. Hinc Dallæus fruſtra pertendit, ſibi conſtare debere, utrum hæc privata fuerit, an recepta eorum ſæculorum ſententia: fruſtra, inquam, id quærit: nam ex prædictis veteribus liquet, conſonam plerorumque Patrum ſententiam de Catholicis dogmatibus, quæ ſententia ab illa privata aliquorum opinatione ſecernitur, prioribus Eccleſiæ ſæculis receptam fuiſſe, atque adeo huic ante omnia, contraquam cenſor obtrudit, fidem tribuendam eſſe: quod etiam ipſe Dallæus confirmat, dum in ſubſequentibus afferit, " inſtituta Patrum „ apud pleroſque Chriſtianos recepta fuiſſe. „ Cum igitur hic de Fide, ut ipſe cenſor ſcribit, agatur ſane illud obſervandum eſt atque credendum, quod *plerique* Patres Catholici docent.

Atque ut idipſum nonnullis illis exemplis, quæ Dallæus adjicit, exponamus. Jam Eccleſiam univerſalem, ſive majorem ejus partem, quæ Romanam Eccleſiam, & plures Catholicas orbis Eccleſias complectitur, diſtinguimus a nonnullis Eccleſiis particularibus, ut fuerunt relatæ Aſiæ minoris Eccleſiæ, quæ alio, quam plerique Chriſtiani, die Paſcha celebrabant; cui celebrationi (*a*) Conſtantinus Magnus Nicænorum Patrum decretum oppoſuit his verbis: „ id æquum, rectumque eſſe omnes „ judicaverunt, quod & vobis placiturum eſſe ſpopondi, ut ſcilicet, „ quod in urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, „ per Hiſpaniam, Gallias, Britannias, Libyas, per univerſam Achajam, per Aſianam, & Ponticam, „ Diœceſim, per Ciliciam denique „ concordi ſententia obſervatur, id „ veſtra quoque prudentia libentibus animis amplectatur: illud nimirum attendens, non modo majorem eſſe numerum Eccleſiarum „ in locis ſupra memoratis, verum „ etiam æquiſſimum eſſe, ut omnes „ in commune id velint, quod ſtricta ratio exigere videtur, nec ullam cum Judæorum perjurio ſocietatem habere. „

Ex hiſce primum id liquet, quod Eccleſia univerſalis bifariam accipitur: vel ut a particularibus Eccleſiis nequaquam diſtincta, ac ſic *omnes* Eccleſias *in Commune* complectitur: vel ut a particularibus ſecreta ſumitur; & ita in *majori Eccleſiarum numero* ducitur. Cum ergo Dallæus Eccleſiam univerſalem a particularibus Aſiæ minoris Eccleſiis ſecernat: illam in *majori Eccleſiarum numero*, ut Conſtantinus docuit, ponere cogitur, ut agnoſcat, Patrum inſtitutum, qui Paſcha die Dominico poſt menſis primi lunam 14. celebrandum tradiderant, a compluribus Eccleſiis ſervatum eſſe, & ab Aſianis, *ne ullam cum Judæorum perjurio ſocietatem haberent, obſervandum* fuiſſe; quod ex *majori* Patrum, & Eccleſiarum *numero* Synodus Nicæna decrevit, quæ etiam, ut diximus, Dei Filium Deum eſſe Patri conſubſtantialem ex plurium veterum traditione conſtituit: quibus in rebus proinde vera plerorumque Patrum ſententia ſpectanda eſt ac tenenda.

Sed falſam Cypriani, Firmiliani, & quarundam Eccleſiarum ſententiam de Hæreticis iterum baptizandis Dallæus rurſum adducit. Num ergo eos re-

(*a*) *Conſtant. in Ep. ad Eccl. apud Euſeb. lib. 3. de vit. Conſt. cap. 19 pag.* 577.

rebaptizandos putat? Maxime errat ideo, quod pars maxima Patrum, Eccleſiarum, & Chriſtianorum, quos ipſe cenſor, laudat, Hæreticos recte baptizatos, non eſſe rebaptizandos tradiderit, quam majorem eorum partem Euſebius, & (*a*) S. Auguſtinus antea commendati adlegarunt. Majoris itaque Patrum partis inſtituta in Catholicis dogmatibus probandis ſequi debemus.

Exinde Dallæus & Tertullianum aliquando Orthodoxum cum Tertulliano errante, & mutabilem diſciplinam Eccleſiaſticam cum Fide Catholica, quæ mutari non poteſt, temere confundit; ſiquidem Tertullianus prius Catholicus, dum Romæ eſſet, aſpexit, mæchos pœnitentia functos ad Eccleſiæ communionem admiſſos fuiſſe, quod ad diſciplinam, cujus ſeveritatem temporum mutatio non ſuſtinebat, attinuit: at poſtea Tertullianus Montaniſta factus ipſos mæchos pœnitentes ad communionem recipiendos non eſſe ita errando affirmavit, ut Eccleſiæ poteſtatem remittendi graviora peccata negaverit; quo errore Tertullianum captum fuiſſe, (*b*) Dallæus videat in ejus libro de pudicitia; quem adverſus *Eccleſiam* inique compoſuit.

Hunc vero errorem ex profeſſo S. Cyprianus in Epiſtola ad Antonianum coarguit; ubi contra Novatianos Hæterodoxos, qui in Eccleſia remittendarum culparum poteſtatem haud eſſe, & pœnitentibus veniam denegandam errore aſſeverabant, ſic loquitur: „ (*c*) Miror quoſdam ſic
„ obſtinatos eſſe, ut dandam non
„ putent lapſis pœnitentiam, aut pœ-
„ nitentibus exiſtiment veniam de-
„ negandam: cum ſcriptum ſit, me-
„ mento, unde cecideris, & age pœ-
„ nitentiam, & fac priora opera:
„ quod utique ei dicitur, quem con-
„ ſtat cecidiſſe & quem Dominus ex-
„ hortatur, per opera rurſus exur-
„ gere ... quod ſi invenimus, pœ-
„ nitentia agenda neminem debe-
„ re prohiberi, & deprecantibus, at-
„ que exorantibus Domini Miſeri-
„ cordiam, ſecundum quod ille Mi-
„ ſericors, & pius eſt, per ſacerdo-
„ tes ejus pacem poſſe concedi: ad-
„ mittendus eſt plangentium gemi-
„ tus, & pœnitentiæ fructus dolen-
„ tibus non negandus. „

Ecquis modo ea legens, non percipit, Dallæum falſa loqui & commentitia? Nam Tertullianus Montaniſta in libro de pudicitia remittendorum peccatorum graviorum, atque etiam commutandæ diſciplinæ poteſtatem Eccleſiæ Catholicæ eſſe factam inficiatus eſt: cui hæreſi Orthodoxi omnes adverſati, fatebantur, eam poteſtatem Eccleſiæ datam, & peccatores univerſos pænitentes ad Communionem eſſe admittendos: cui Orthodoxo dogmati non aliqui Catholici Africæ Epiſcopi, quos ad contrariam ſententiam cenſor falſe traducit, ſed Novatiani in errore verſati ſe ſe opponebant. Cypriano ſignificante: utpote qui in illa Epiſtola, quam Dallæus affert, docuerit, peccatoribus pœnitentiam agentibus *per ſacerdotes* Dei *pacem poſſe concedi*; quam poteſtatem non illi Catholici Præſules, ſed iſti Hæretici inficiabantur. Ac proinde S. Martyr ibi non de percipienda Eccleſiæ diſ-

(a) *vide* 1. *Diſſertationem*
(b) *Tertul. de pudicitia cap.* 1.
[c] *S. Cypr. Epiſt.* 52.

diſciplina, ſed de depellendo iſtorum errore tractavit. Quamquam igitur agendæ pœnitentiæ aliqui Epiſcopi diſciplinæ ſeveritatem adhibebant, alii vero iſtam mitigabant ex Romanorum Pontificum præſcripto: nihilo ſecius Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ fides, præſertim quam illi dogmati habuit, nec imminuta fuit nec fracta.

Hanc fidem S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus non infirmavit, ſed Epiſtolis ſuis adverſus Novatianos ſcriptis defendit; qui in Parænesi quidem Idololatris, homicidis, ac Mæchis haud pœnitentibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeveritatem adhibendam arbitratus: tamen illis, ſi pœnitentiam agerent, ac ſacerdotibus peccata ſua non tacerent, veniæ ſpem nullam eripuit; imo ipſos abſolutionis beneficio afficiendos ſic protulit: „ (a) Qui Fratibus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur. „

Poſſem alios Patres hujus dogmatis, ac cæterorum teſtes producere: ſed hi ſatis oſtendunt, Catholicorum dogmatum ſententias, quas plures veteres pronuntiant, plerìſque omnibus Eccleſiis acceptas fuiſſe. Et ſicuti ex *majori* illo *Eccleſiarum numero* graviſſimam celebrandi Paſchatis conſuetudinem retinendam eſſe credidit omnis Eccleſia: ita Orthodoxa dogmata non ſolum ex uno quodam ſcriptore, ſed ex pleriſque Patribus evincuntur: quo adverſus Dallæum probatum eſt, a majori Patrum parte non unius ſæculi, ſed plurium Eccleſiæ univerſæ ſæculorum ſenſa de Fidei rebus facile oſtendi: cujus rei rationem hanc Dallæus ipſe iniit, quod ſcilicet „ Patres eo conſilio ſcripſerunt, ut nos docerent, quæ eſſet ſui cujuſque ſæculi Fides; „ in qua cum ſteterit, ac maneat Eccleſia univerſa: profecto nobis probandum non eſt, uti Dallæus contendit; ſed ſatis ex ipſo, exque propoſitis exemplis probavimus, non modo unius cujuſdam ſcriptoris, verum etiam plurium veterum auctoritatibus ejuſdem Eccleſiæ fidem, ac dogmata vinci.

Cum autem, Dallæo fatente, Patres ſcriptis ſuis nos docuerint, quæ omnium fides eſſe deberet: pro certo illud ei, quod cenſor perperam infert, oppoſitum tenendum eſt, nimirum a Patribus reliquorum veterum ſcita, quæ ad fidem attinebant, quæque ipſi cognita habebant, memoriæ prodita eſſe; neque etiam veriſimiliter ab iiſdem falſa, & erronea quorundam nebulonum dogmata, quæ illi veteres reſpuebant, diſſimulata fuiſſe: alioquin iidem Patres vera Fidei doctrina, quæ iſtis erroribus adverſatur, cuique credamus oportet, omnes inſtitutos haud voluiſſent; cujus contrarium & ipſe cenſor affirmat, & ex veteribus, quos idem Dallæus affert, eruitur.

Nam S. Auguſtinus ſupra adlegatus plerorumque Patrum ſententias de peccato Originali, ac de ſuperna Dei gratia palam adduxit, ac quæcumque falſa, & erronea Pelagianorum, ac Semi-Pelagianorum dogmata refellendo patefecit, & credenda propoſuit. Exinde in Epiſtola ad Januarium, qui de nonnullis aliquarum Eccleſiarum conſuetudinibus multa quærebat, has centu-

(a) *S. Pac. in Paræneſi, ſive adhortatione ad Pænitentiam Tom. III. BB. PP.*

ſuetudines a Fidei dogmatibus ita
ſecrevit. „ (a) Primo itaque tenere
„ te volo, quod eſt hujus diſputa-
„ tionis caput, Dominum noſtrum
„ Jeſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evan-
„ gelio loquitur, leni jugo ſuo nos
„ ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi, unde
„ Sacramentis numero pauciſſimis,
„ obſervatione facillimis, ſignifica-
„ tione præſtantiſſimis ſocietatem no-
„ vi populi colligavit, ſicuti eſt ba-
„ ptiſmus Trinitatis nomine con-
„ ſecratus, Communicatio corporis,
„ & Sanguinis ipſius, & ſi quid aliud
„ in Scripturis Canonicis commen-
„ datur, exceptis iis, quæ ſervitu-
„ tem populi veteris pro congruen-
„ tia cordis illorum, & prophetici
„ temporis onerabant, quæ & in
„ quinque libris Moyſis leguntur.
„ Illa autem, quæ non ſcripta, ſed
„ tradita cuſtodimus, quæ quidem
„ toto terrarum orbe ſervantur, da-
„ tur intelligi, vel ab ipſis Apoſto-
„ lis, vel plenariis Conciliis, quo-
„ rum eſt in Eccleſia ſaluberrima
„ auctoritas, commendata, atque
„ ſtatuta retineri, ſicuti quod Do-
„ mini Paſſio, & Reſurrectio, &
„ adſcenſio in cælum, & adventus
„ de cælo Spiritus Sancti, anniver-
„ ſaria ſolemnitate celebrantur, &
„ ſi quid aliud tale occurrit, quod
„ ſervatur ab univerſa, quacumque
„ ſe diffundit, Eccleſia .... miror
„ ſane, quid ita volueris, ut de iis,
„ quæ varie per diverſa loca obſer-
„ vantur, tibi aliqua ſcriberem, cum
„ & non ſit neceſſarium, & una in
„ his ſaluberrima regula retinenda
„ ſit, ut quæ non ſunt contra fidem,
„ neque contra bonos mores, & ha-
„ bent aliquid ad exhortationem vitæ
„ melioris, ubicumque inſtitui vi-
„ demus, vel inſtituta cognoſcimus,
„ non ſolum non improbemus, ſed
„ etiam laudando, & imitando ſe-
„ ctemur, ſi aliquorum infirmitas
„ non ita impedit, ut amplius de-
„ trimentum ſit... Quod autem in-
„ ſtituitur præter conſuetudinem, ut
„ quaſi obſervatio Sacramenti ſit,
„ approbare non poſſum, etiamſi mul-
„ ta hujuſmodi propter nonnullarum
„ vel ſanctarum, vel turbulentarum
„ perſonarum ſcandala devitanda li-
„ berius improbare non audeo ...
„ ſed Eccleſia Dei inter multam pa-
„ leam, multaque zizania conſtitu-
„ ta, multa tolerat, & tamen quæ
„ ſunt contra fidem, vel bonam vi-
„ tam non approbat, nec tacet, nec
„ facit. Itaque illud, quod ſcripſiſti,
„ quoſdam Fratres ita temperare ſe
„ a carnibus edendis, ut immundas
„ arbitrentur, apertiſſime contra Fi-
„ dem, ſanamque doctrinam eſt. „

Has diſtinctas rerum cauſas, atque rationes Dallæus minime tenuit, quo aliquorum veterum placita, & ſcita, præſertim quæ ad Fidem, ac Traditionem ſpectant, a nonnullis Patribus occultari venditaret. Atqui Auguſtinus maximos Baptiſmi, & Euchariſtiæ ritus, quibus Catholica Eccleſia fidem habet, quique eorum Sacramentorum ſubſtantiam demonſtrant, haud celavit, ſed illum *Trinitatis nomine conſecrari*, & iſtam eſſe *Communicationem Corporis*, & *Sanguinis Chriſti*, apertiſſime aſſeruit: quibus adjecit, quod illa, quæ *non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus*, quæque *toto terrarum orbe ſervantur*, *vel ab ipſis Apoſtolis*, *vel a plenariis Conciliis commendata* fuerint, *atque ſta-*

(a) S. Aug. Epiſt. 55. pag. 124. & ſequ.

ſtatuta: ob quæ *retineri* debet univerſæ Eccleſiæ conſuetudo, qua Domini Paſſio, & Reſurrectio, & alia hujuſmodi *anniverſaria ſolemnitate* celebrautur. Itaque a Patribus aliorum placita, ac ſcita memoriæ prodita haud eſſe, Dallæus ex illa S. Auguſtini Epiſtola fallaciter intulit, atque propoſuit; cum S. Doctor *Apoſtolorum*, *plenariorumque Conciliorum* ſcita, quæ ab ipſis *tradita* fuerant, & univerſim, & ſingillatim ſcriptis mandarit.

Quid igitur Patres Dallæus ſiniſtre in invidiam vocat? quo ſpectat illud, cum ab eis quæcumque falſa dogmata veriſimiliter diſſimulata eſſe, ex eadem Auguſtini Epiſtola falſiſſime colligit? in eo ipſo, quod S. Doctor in elementis dogmaticis docuit, ab iſto Dallæus maxime diffidet. Nam Auguſtinus quidem & univerſales, ac particulares conſuetudines Eccleſiaſticas adprobavit; & quod *præter conſuetudinem inſtituitur*, neque *approbare* voluit, *neque improbare* auſus eſt: ſed iſtud ab erroribus diſtinxit, propterea quia idipſum *Eccleſia tolerat*; *ea* autem, quæ *ſunt contra fidem bonamque vitam non approbat*, *nec tacet*, *nec facit*. Quare quod *carnes immundas quidam arbitrarentur*: hoc Auguſtinus ea Epiſtola non diſſimulavit, ſed idem ipſum *apertiſſime contra fidem*, *ſanamque doctrinam eſſe*, ſcripſit, ac docuit. Quamvis igitur Eccleſia, & Patres aliquas conſuetudines recens invectas, quæ ab erroribus differunt, tolerarint: nunquam tamen errantia dogmata diſſimularunt; utpote qui iſta *neque approbarint*, *neque tacuerint*; *ſed contra fidem eſſe*, *apertiſſime pronunciarint*, Dallæi veriſimilitudine everſa.

Is vero adjicit S. Hieronymum; qui tamen illis Jeremiæ Prophetæ verbis „ conteram populum iſtum, „ & (a) Civitatem hanc, ſicut con„ teritur vas figuli, quod non poteſt „ ultra inſtaurari, „ iis, inquam, refellit Judæos, qui falſe putant, Jeruſalem reſtituendam, & regnum in terris Domini Salvatoris. Quæ licet, *inquit* Hieronymus, „ (b) non „ ſequamur; tamen damnare non „ poſſumus. Quia multi Eccleſiaſti„ corum virorum, & Martyres iſta „ dixerunt. „

Falſam itaque opinionem Judæorum, qui Jeruſalem reſtituendam effutiunt, Hieronymus diſſimulante ſilentio non præteriit, ſed eam perſpicuo illo Jeremiæ oraculo evulſit. Illa autem, quæ de Chriſti *regno in terris multi Eccleſiaſtici viri dixerunt*, apte eis reſpondent, quæ S. Irenæus multo ante laudatus de eodem regno ita protulit, (c) *ſicut Presbyteri dicunt*: ipſe vero Irenæus ex *Traditione* Apoſtolica poſt judicii diem *Gloriam æternam* in cælis futuram commendavit. Illa eadem igitur non erant Patrum placita, ut Dallæus occentat, ſed falſa Papiæ, & aliquot *præsbiterorum dicta*, quæ Apoſtolicorum Patrum, plerorumque veterum Chriſtianorum ſententiæ repugnant. Unde Hieronymus eadem dicta, utpote veritatis notam non habentia, *ſecutus non* eſt; tametſi illa damnare noluerit: & quia aliqui vetu-

[a] *Jerem. xix. v. 11.*
[b] *S. Hier. lib. iv. in Jerem. cap. 19. pag. 975. Tom. iv.*

(c) *S. Iren. lib. 2, & v. adv. Hær. cit. in Diſſert. 1. SS. ultim.*

cuſtorum aliter, atque alii *dicebant*, ex Traditione ſenſerunt: & quoniam illa *dicta* de *ſpiritalibus* (*a*) deliciis, atque adeo de ſpiritali Chriſti regno intelligi poſſunt, ac tolerari, S. Auguſtino docente.

Poſtea Dallæus de ſuo addit, quod S. Ambroſius ſermone 57. dixerit, plerumque clerum erraviſſe, ac Sacerdotes nutaviſſe: ille enim ſermo, & quilibet alius, S. Ambroſio ſuppoſitus eſt, ut qui ab ejus ſtylo maxime abhorreat. Nunquam ergo Ambroſius, ſed quidam Impoſtor illa verba protulit; quibus Dallæus abutitur, ut *populo*, qui ibi propriam fidem retinuiſſe dicitur, poteſtatem judicandi res fidei tribuat maximo errore, quem & ſacra Scriptura, & Eccleſiaſtica antiquitas, & Ambroſius ipſe coarguit; qui in ſua legitima, ac certiſſima Epiſtola 42. refert, Jovinianum Heterodoxum in Concilio Mediolanenſi damnatum fuiſſe *ſecundum judicium* Siricii Romani Pontificis. Non igitur populo quantumvis fidem retinenti, ſed Romano Epiſcopo ſumma dirimendarum Fidei controverſiarum poteſtas a Chriſto data eſt. At Dallæus ex Cypriani litteris, quas alibi attulimus, quaſdam populi ſententias adducit; quæ ramen non propriæ ſententiæ, ſed teſtimonia fuerunt; quæ de ordinandorum moribus perhibebat populus Carthaginenſis; qui quidem non judicans, ſed præſens adſuit illi particulari Concilio turbulento, in quo de rebaptizandis Hæreticis actum eſt, quodque *ſchiſmatis periculo* haud caruit, quemadmodum S. Auguſtinus ſignificat. Illud ergo Concilium Cyprianus coegit populo præſente, qui nullam in eo ſententiam dixit, uti ex illius actis apud Cypriani opera extantibus conſtat. Ac proinde Dallæus falſe dicit, quod abſque populi ſententia nihil, quod alicujus momenti eſſet, egerit Cyprianus. Nulla etiam præſentia plebis, nulla ſententia, nullumque judicium a Nicæno I. Concilio quæſita fuere: nihil enim de iis Euſebius, S. Athanaſius, aliique veteres referunt, ut ex horum ſilentio clare appareat, quod & Plebis præſentiam perorandis Fidei cauſis neceſſariam Dallæus falſo declaret, & errore illam judicandi poteſtatem populo tradat.

Sed mitto has Cenſoris confuſiones, quo ad S. Hieronymum redeam; qui in eo Catholico dogmate, quod Epiſcopos ſimplicibus Presbyteris ſuperiores eſſe demonſtrat, a S. Epiphanio nequaquam diſſenſit. Cum enim (*b*) Præsbyteri nomen ſeniorem ex Græca lingua ſignificet; ob idque Epiſcopi aliquando Præsbyteri, ſive ſeniores appellati ſint; quoniam ætate antiquiores Eccleſiaſtici Epiſcopatum adipiſcebantur: ſane Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum voluit, nomine tenus *Epiſcopos eoſdem fuiſſe ac Præsbyteros; quia hoc nomen ætatis erat*, uti refert ipſe Dallæus; cujus argumentum refellit idem Hieronymus Epiſtola ad Evangelum: ubi errorem quorumdam, qui Diaconos Præsbyteris æquabant, depulit; ſimulque Epiſcopos Præſbyteris majores eſſe ex ſacris Pauli Apoſtoli litteris, atque adeo ex Divina inſtitutione probavit, rationem hanc afferens, quod *Præsbyter minor in Epiſcopo majori contineatur*; quam ad rationem Dallæus ſe neutiquam re-

(*a*) *S. Aug. de civit. Dei lib. 20. cap. 7.*

(*b*) A πρέσβυς, ſenex, fit πρεσβύτερος, ſenior.

revocavi, dum non credidit S. Epi-
phanio ſignificanti, in ea tum ſen-
tentia fuiſſe omnes Eccleſiæ Docto-
res. At ecce Hieronymum ipſius E-
piphanii ætate florentem ei maxime
aſſentiri; qui quidem nomine tenus
Epiſcopos eoſdem fuiſſe ac Præsby-
teros dixit; ſed reapſe utroſque diſ-
ferre, illoſque iſtis majores eſſe ita
monſtravit: „ (a) Præsbyter, & Epiſco-
„ pus, aliud ætatis, aliud dignita-
„ tis eſt nomen. Unde & ad Titum,
„ & ad Timotheum de ordinatione
„ Epiſcopi, & Diaconi dicitur; de
„ Præsbyteris omnino reticetur: quia
„ in Epiſcopo & Præsbyter contine-
„ tur: qui provehitur, de minori ad
„ majus provehitur. „

Idem Hieronymus his Divinis in-
ſtitutis eruditus, Vigilantium Hære-
ſiarcham, qui ſanctarum reliquia-
rum cultum errore negabat, & ali-
quos Epiſcopos ſui ſceleris conſortes
habere dicebatur, exagitavit hoc pa-
cto: „ (b) Proh nefas! Epiſcopos
„ ſui ſceleris dicitur habere conſor-
„ tes, ſi tamen Epiſcopi nominan-
„ di ſunt, qui non ordinant Diaco-
„ nos, niſi prius uxores duxerint;
„ nulli cælibi credentes pudicitiam..
„ quid facient Orientis Eccleſiæ? quid
„ Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ
„ & Virgines Clericos alit? .. Ni-
„ mirum reſpondet generi ſuo, ut
„ qui de latronum, & convenarum
„ natus eſt ſemine ... audes dicere,
„ illud neſcio quid, quod in modi-
„ co vaſculo transferendo colis?....
„ ergo ſacrilegi ſumus, quando Apo-
„ ſtolorum Baſilicas ingredimur? ſa-
„ crilegus dicendus eſt & nunc Au-
„ guſtus Arcadius, qui oſſa Beati
„ Samuelis longo poſt tempore de
„ Judæa tranſtulit in Thraciam? om-
„ nes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi,
„ ſed & fatui judicandi, qui rem
„ viliſſimam, & cineres diſſolutos
„ in ſerico, & vaſe aureo portave-
„ runt: ſtulti omnium Eccleſiarum
„ populi, qui occurrerunt ſanctis
„ reliquiis, & tanta lætitia, quaſi
„ præſentem, viventemque Prophe-
„ tam cernerent, ſuſceperunt, ut de
„ Palæſtina uſque Chalcedonem jun-
„ gerentur populorum examina, &
„ in Chriſti laudes una voce reſo-
„ narent ... Mortuum ſuſpicaris, &
„ iccirco blaſphemas. Lege Evan-
„ gelium: (c) *Deus Abraham, Deus
„ Iſaac, Deus Jacob: non eſt Deus
„ mortuorum, ſed viventium*. Si ergo
„ vivunt, honeſto juxta te carce-
„ re non clauduntur .... male fa-
„ cit ergo Romanus Epiſcopus, qui
„ ſuper mortuorum hominum Petri,
„ & Pauli, ſecundum nos oſſa ve-
„ neranda, ſecundum te vilem pul-
„ viſculum, offert Domino ſacrifi-
„ cia, & tumulos eorum Chriſti ar-
„ bitratur altaria: & non ſolum unius
„ Urbis, ſed totius orbis errant Epiſ-
„ copi, qui cauponem Vigilantium
„ contemnentes, ingrediuntur Baſi-
„ licas mortuorum, in quibus pul-
„ vis viliſſimus, & favilla, neſcio
„ quæ, jacet linteamine convoluta,
„ ut polluta omnia polluat, & quaſi
„ ſepulchra phariſaica foris dealba-
„ ta ſint, cum intus immundo ci-
„ nere, juxta te, immunda omnia
„ oleant, atque ſordeſcant. Et poſt
„ hæc de barathro pectoris ſui cæ-
no-

(a) *S. Hier. Epiſt. 46. ad. Evan. pag.* 1076. *Tom.* 3.

(b) *S. Hier. in lib. contr. vigil. pag.* 350. & *ſeq. Tom.* 2.

(c) *Math.* 12.

„ noſam ſpurcitiam evomens, audet „ dicere: ergo cineres ſuos amant „ animæ Martyrum, & circumvo- „ lanteos, ſemperque præſentes ſunt, „ ne forte ſi aliquis precator adve- „ nerit, abſentes audire non poſſint. „ O portentum in terras ultimas de- „ portandum! Rides de reliquiis „ Martyrum, & cum auctore hu- „ jus hæreſeos Eunomio, Eccleſiis „ Chriſti calumniam ſtruis, nec tali „ ſocietate terreris, ut eadem con- „ tra nos loquaris, quæ ille contra „ Eccleſiam loquitur. „

Anne ſentit Dallæus, anne *tali ſocietate terretur? eadem contra* S. Hieronymum *loquitur*, *quæ Eunomius*, & Vigilantius *contra Eccleſiam Chriſti loquuntur*. Neque enim illud, quod Dallæus lectori expendendum ſubdole relinquit, a S. Hieronymo prætermiſſum eſt, qui diſerte expoſuit, quales illi errantes Epiſcopi, quos Vigilantius deceperat, fuerint, dum digni non erant, qui pluris fierent, atque *Epiſcopi nominarentur:* nam contra *Sedis Apoſtolicæ*, & *Eccleſiarum Orientis*, atque *Ægypti* inſtituta, quibus ex *virgines clericos alebant*, iidem illi *ſcelerum* Vigilantii *conſortes*, & *nulli cælibi credentes pudicitiam*, *non ordinabant Diaconos*, *niſi uxores duxiſſent*. Iſti ergo errantes Præſules ad paucos redacti, de *latronum*, *vectonum*, & *convenarum genere* erant, quippe cui Vigilantius *reſpondebat*; cujus proinde ſocii errantes illi Præſules propter ejus *ſcelus*, & *hæreſim*, qua capti erant, nec pluris faciendi ſunt, nec audiendi.

Illi vero Epiſcopi pauci fuerunt; utpote quibus Hieronymus oppoſuerit *totius orbis Epiſcopos*: ob quem S. Doctoris contextum *tota* Eccleſia hic pro maxima parte tum Fidelium, cum *Epiſcoporum Romano* Pontifici ſubditorum, atque Orthodoxorum, ut qui contra Vigilantium, ejuſque ſcelerum conſortes aliquos Epiſcopos ſentirent, accipitur: quo argumento irritæ, ac falſæ Dallæi conſecutiones, quas ex illo Hieronymi textu perperam elicit, apertiſſime refelluntur: quarum in priore ait, quod fieri nequeat, ut ex Patribus certo liqueat, quæ fuerit veteris Eccleſiæ ſententia de illo dogmate, ac reliquis Fidei capitibus. Quis unquam ita temere, ac ſine ratione obloquetur? nam *omnes Eccleſiæ ſanctas reliquias venerabantur*, ac *Romanus Epiſcopus*, & *totius orbis Epiſcopi Vigilantium contemnebant:* quorum proinde ſententia de *ſanctarum reliquiarum veneratione*, quam Dallæus hæreſi negat, *omnibus* certo conſtabat, & nunc procul dubio patet; quoniam ex certiſſima fide Catholica, quæ omnia ſua dogmata credenda docet, *contemnitur hæreſis*, ob quam Dallæus illam falſiſſimam eruit conſecutionem, atque etiam in altera errat, dum ad probandam veritatem eorum Fidei dogmatum, quæ ipſe hæreſi in dubium vocat, veterum ſcripta parum valere eo contendit, quia veteris Eccleſiæ documenta in illis minime habeantur. Itane vero? Patrum opera maxime valent ad convincendum *Eunomium*, qui ſuis hæreſibus, quarum una Dei Filium verum Deum eſſe impie negavit, & altera ſanctarum reliquiarum venerationem inficiatus eſt, *contra Eccleſiam* loquebatur; cujus Eccleſiæ antiquæ ſenſa erroribus illis, quorum in poſteriore Dallæus verſatur, contraria in Hieronymi, ac plurium Patrum operibus oſtenduntur; quæ proinde ad perſpiciendam, atque monſtrandam illorum, ac cæte-

te-

terorum dogmatum, Hæreſibus iſtis, aliiſque oppoſitorum veritatem plurimum valent.

Itaque plerique Patres, *debellatis*, ut S. Auguſtinus ait, *ſuorum temporum erroribus*, ob idque non diſſimulatis, uti Dallæus falso putat, erroneis dogmatibus, ſua volumina eo ſcopo exararunt, ut Catholicam fidem ſive in multis documentis expreſſam, ſive in quibuſdam implicitam magis exponerent: ad quam ſervandam aliqui veteres in priori Diſſertatione adlegati conſonas plurium Patrum auctoritates attulerunt, utique denotantes, non diviſim, ſed uniter eoſdem Patres ut teſtes fidei dignos accipiendos eſſe ac producendos, quatenus ſcilicet major, aut maxima horum pars, ut ſæpe obſervavimus, in eadem Fidei ſententia conſtat, atque conſentit.

§. II.

Probandorum Orthodoxorum dogmatum medium adverſus Dallæum profertur, atque ex Veteribus oſtenditur.

Cum illud monſtrandorum Catholicorum dogmatum medium a Theologis ponatur, quo conſona plurium Patrum teſtimonia primitus afferuntur, e quibus deinceps concluſio aliquam orthodoxæ fidei veritatem oſtendens elicitur: jam ad hoc ipſum, de quo & multa præmonuimus, & nunc agemus, nobis erit revertendum.

Enimvero (*a*) Dallæus in errorem raptus affirmat, „ Patrum allegationes non eſſe medium idoneum & ſufficiens ad demonſtrandam veritatem eorum de Religione capitum, quæ Eccleſia ſtatuit, atque definiit. „

Adverſus hunc errorem aſſevero, illud probationis genus, quo plurium, aut plerorumque omnium Patrum allegationes laudantur, & concordes eorum ſententiæ adducuntur, medium idoneum eſſe ac ſufficiens ad oſtendendam Fidei dogmatum ab Eccleſia definitorum veritatem.

Age hoc vincamus auctoritate Caii Romanæ Eccleſiæ Præsbyteri ſæculo tertio florentis; cujus eſſe librum contra Arthemonis, & Theodoti Coriarii hæreſim compoſitum ex Photio monſtravimus: quo in libro iſtos Heterodoxos, qui Chriſtum non eſſe Deum, ſed merum hominem impie aſſerebant, propterea retudit, quod *eis refragarentur primum quidem Divinæ* (*b*) *Scripturæ, deinde Fratrum quorundam ſcripta, Victoris ætate antiquiora; quæ illi adverſus Gentes, & contra ſui temporis hæreticos pro veritatis defenſione ſcripſerunt: Juſtinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum, ac Clementem, alioſque quam plurimos, in quorum omnium libris Chriſti Divinitas adſtruitur.*

S. Athanaſius quarto ſæculo celebris, quem ſæpe laudavimus, (*c*) in Epiſtola ad Afros teſtatur, quod Nicæni I. Concilii Præſules definierunt, *Conſubſtantialem eſſe Patri Filium... Epiſcopi vero nequaquam voces illas excogitarunt; ſed Patrum teſtimoniis freti ita ſcripſerunt.*

(a) *Dall. lib. 2. de uſu Patr. cap. 1. pag.* 204.
(b) *Cajus apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. v. cap.* 28. *pag.* 219.

[c] S. *Athan. Epiſt. ad Afr. pag.* 841. & *ſeq. Tom.* 2.

S. Hieronymus eodem quarto ſæculo illuſtris, Helvidio Hæreſiarchæ, qui ſanctam Dei Matrem Mariam Virginem poſt partum non fuiſſe hæreſi affirmabat, & Tertullianum, ac Victorinum Petabionenſem Epiſcopum opponebat, hoc modo reſpondit: (*a*) *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Eccleſiæ hominem non fuiſſe. De Victorino vero id aſſero, quod & de Evangeliſtis, Fratres eum dixiſſe Domini, non Filios Mariæ: Fratres autem eo ſenſu, quem ſuperius expoſuimus, propinquitate, non natura. Verum nugas terimus, & fonte veritatis omiſſo, opinionum rivulos conſectamur. Numquid non poſſum Tibi totam veterum ſcriptorum ſeriem commovere: Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multoſque alios Apoſtolicos, & eloquentes viros, qui adverſus Ebionem, & Theodotum Byzantinum, Valentinum, hæc eadem ſentientes, plena ſapientiæ volumina conſcripſerunt: quæ ſi legiſſes aliquando, plus ſaperes.*

S. Auguſtinus labente ſæculo quarto, & quinti initiis celeberrimus, (*b*) poſtquam adverſus Julianum ea teſtimonia, quæ initio produximus, attulit: illi hæretico dixit: *at melius de te credam, ſi nunc primum iſta cognoſcis, ſi de peccato primi hominis, quod eo ſint obligati qui carnaliter generantur, infantes, nec eo, niſi ſpiritali regeneratione ſolvuntur, nunc primum adſpicis, hoc didiciſſe, & docuiſſe tot Sanctos, quod & nos didicimus, & docemus, muta jam iſtam mentem, obliviſcere hujus erroris, & propemodum furoris, quo in tot, ac tales Patres Manichæum jacularis opprobrium. Si neſciens hoc feciſti, cur non miſeram reſpuis imperitiam? Si ſciens, cur non ſacrilegam deponis audaciam? Convinceris undique: luce clariora ſunt teſtimonia tanta Sanctorum; in quorum conventum te introduxerim, conſpice.*

Vincentius Lirinenſis medio quinto ſæculo clarus, de Patrum ſententiis adverſus errores adducendis ſic tractat: (*c*) *Exemplum adhibuimus ſancti* Concilii, quod ante triennium ferme in Aſia apud Epheſum celebratum eſt U. U. CC. Baſſo, Antioquoque Conſulibus, ubi cum de ſanciendis Fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan prophana novitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, univerſis ſacerdotibus qui illo ducenti ferre numero convenerant, hoc catholiciſſimum, fideliſſimum, atque optimum factu viſum eſt, ut in medium Sanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios Confeſſores, omnes vero Catholicos Sacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret; ut ſcilicet rite, atque ſolemniter ex eorum conſenſu, atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ novitatis blaſphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure, meritoque impius ille Neſtorius Catholicæ vetuſtati contrarius, beatus vero Cyrillus ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus judicatus eſt. Et ut ad fidem rerum nihil deeſſet, tam nomina, & numerum (licet ordinem fuiſſemus obliti) edidimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem continentem, ſibi concordemque

(a) *S. Hier. in libro adverſus Helvidium pag.* 223. *Tom.* 2.

(b) *S. Aug. lib.* 1. *cont. Jul. cap.* 7. 5 3 *T.* 2.

(c) *Vinc. Lirin. in Commo. cap. penult. pag.* 462.

que ſententiam & legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & Divini dogmatis *regula conſtabilita eſt*.

S. Leo I. Pontifex ſummus, eodem ſæculo quinto illuſtris, Eutychetis impietatem a Patribus olim deſtructam ſic in Epiſtola ad Paſchaſinum Epiſcopum pronuntiavit: *abominanda* ergo (*a*) eſt Eutychetis impietas, olim a Patribus in præcedentibus hæreticis damnata, atque deſtructa ... Ut autem in omnibus plenius tua ſit inſtructa dilectio: Sanctorum Patrum noſtrorum, de ſacramento Incarnationis Domini quid ſenſerint, & quid Eccleſiis prædicaverint ut evidenter agnoſceres, aliqua ad dilectionem tuam ſcripta tranſmiſi, quæ noſtri quoque apud Conſtantinopolim cum mea Epiſtola allegarunt: & totam Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Monaſteriis omnibus, & multis Epiſcopis noveris præbuiſſe conſenſum; & ſubſcriptionibus ſuis Neſtorium, atque Eutychen cum ſuis *anathematizaſſe* dogmatibus.

Concilium Chalcedonenſe illam S. Leonis Epiſtolam, quam is ad Flavianum ſcripſerat, cuique *SS. Hilarii*, *Gregorii Nazianzeni*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, & *Cyrilli Alexandrini* teſtificationes adnexæ erant, legi edixit, iſtaſque recitari. (*b*) *Poſt lectionem autem*, inquiunt ejuſdem Synodi acta, *prædictæ* Epiſtolæ reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Patrum Fides: omnes ita credimus: Orthodoxi *ita credunt*.

Denique Stephanus Dorenſis Epiſcopus in Concilio Lateranenſi II. quod fere medio ſæculo ſeptimo celebratum eſt, Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum, qui adverſus Monotholitarum hæreſim volumina exaraverat, ita laudavit: (*c*) *Ipſe*, *dum adviveret*, ſuperius dictis temeratoribus in Oriente validiſſime contradixit conteſtans eos, & admonens, ut a propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent: dans in duobus libris ſexcenta Teſtimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum, & *veritatis oſtenſionem*.

§. III.

Ex iis argumentum accipitur.

PORro ex laudatis veterum textibus Catholicorum dogmatum magnitudo exiſtit, argumentique amplitudo excitatur; quo primitus proponitur, in *quorumdam Fratrum antiquiorum ſcriptis adſtrui Chriſti Divinitatem*; quam etiam Nicænæ primæ Synodi Epiſcopi *Patrum teſtimoniis freti* oſtenderunt. Ergo *Patrum* allegationes, aut *teſtimonia* ut validiſſima ad probandum maximum Chriſtianæ Religionis dogma, quo Dei Filius Deus Patri Conſubſtantialis creditur, allata fuerunt: ac proinde Patrum allegatio, qua ſcilicet plures conformes eorum teſtificationes producuntur, ad reliqua omnia dogmata evincenda, quæ Eccleſia definiit, medium omnino ſufficiens eſt & aptiſſimum.

Qua propter Hieronymus *totam veterum ſcriptorum ſeriem*, ſive maximam eorum partem, quæ erranti Tertulliano jam Montaniſtæ opponebatur, contra Helvidium, cujus er-

(a) *S. Leo* 1. *Epiſt.* 69. *pag.* 258. *& ſeqq.* T. 3.
(b) *Concil. Chalc. act.* 2. *pag.* 1235

[c] *Steph. Dor. in Conc. lat.* 1. *Secret.* 2. *pag.* 107. *Tom.* 7. *Con. Lab.*

errore Dallæus afficitur, bene *commovit*, & ſingillatim aliquot veteres adlegavit; quorum proinde adlegationes errorem coarguunt, ac *veritatem* oſtendunt. Hinc Julianus Pelagianus, cujus hæreſi Sociniani inſtantur, *undiqne convincitur ſanctorum teſtimoniis luce clarioribus*, quæ *dantur ad evictionem impietatis*, atque *ad veritatis oſtenſionem:* ad quas certe laudatorum teſtimoniorum vires ſufficiunt; utpote quibus Hæretici *convincuntur*.

Quare Concilium Epheſinum Œcumenicum *prolatis* plerorumque Patrum *ſententiis* concordibus, quibus conſentiebant, *prophanam* Neſtorii *novitatem damnavit*, & *antiqui dogmatis religionem confirmavit*. *Confirmandi* igitur cujuslibet dogmatis Catholici vim habent plerorumque veterum auctoritates.

Demum Leo Magnus docuit, Neſtorii, & Eutychetis hæreſim a *Patribus* in præcedentibus Hæreticis *damnatam* fuiſſe, atque *deſtructam:* quod ut *evidenter agnoſceretur*; eorum *ſcripta* ipſius Pontificis Legati apud Conſtantinopolim, & Chalcedonenſem Synodum expreſſe *adlegarunt*; quæ Synodus, illis lectis, *clamavit*, *Hæc Patrum Fides*; quam tamen Dallæus temere violavit, dum contrarium aſſeruit. Nam ſi Patrum allegationes, ut ipſe vult, ad probanda ea Fidei dogmata, quæ adverſus recentes Hæreticos Eccleſia conſtituit, idoneæ, ac ſufficientes non eſſent: ex hoc ſequeretur, ut neque ad *deſtruendam* illorum Nebulonum *hæreſim*, neque ad firmandum ipſius *Fidei* dogma veterum auctoritates valerent: quod cum S. Leoni *Patrum ſcripta adleganti*, & Concilii Chalcedonenſis *Epiſcopis*, qui *Patribus fidem* præbuerunt, & ſecundum iſtos *crediderunt*, directe adverſetur: etiam illa Dallæi aſſertio eidem *Patrum adlegationi*, & *Fidei*, quas Leo Magnus, & laudata Synodus tenuerunt, opponitur, ac ſic nulla eſt & erronea. Itaque concordes plurium, aut plerorumque omnium veterum ſimul ſumptorum ſententiæ, & *conſenſus* ad firmandum quodque Fidei dogma media idonea ſunt, & ſufficientia.

§. *Ultimus*, *Dallæi oppoſitio diluitur*.

„ DUo, (*a*) inquit iſte, ſunt lo-
„ corum, quæ apud Patres oc-
„ currunt, genera. Nam vel ut te-
„ ſtes narrant quæ in ſui ſæculi Ec-
„ cleſia credebantur, aut gereban-
„ tur, vel ut Doctores, quid ſen-
„ tiant, exponunt. De priori dubi-
„ tare me coegit, quod cum Patrum
„ admiratores concedere videam, eos
„ licet de jure vel nunquam, vel ra-
„ riſſime errent; falli tamen, & er-
„ rare ſæpiſſime, ubi de facto quæ-
„ ritur. Scire autem, quæ ſingulis
„ ſæculis fuerit Eccleſiæ ſententia,
„ cognitio facti eſt, non juris. Vi-
„ dentur ergo Patres falli potuiſſe,
„ dum, quæ hujusmodi fuerit, ex-
„ ponunt. Unde ſequitur, eorum
„ in hoc rerum genere teſtimonia
„ nequaquam eſſe admittenda ut ab-
„ ſolute vera. Patres interdum ſen-
„ tentiæ alicujus ſtudio tenebantur:
„ interdum & ab alia aliqua abhor-
„ rebant. Facile hac ratione indu-
„ cebantur, ut Eccleſiam in ea eſſe
„ ſententia exiſtimarent, in quam
„ ipſi arcano animi motu propen-
„ de-

[a] *Dall. lib. 2° de uſu Patr. cap.* [illegible], *pag.* 204.

,, derent eamque ab iis abhorrere ſibi
,, fingerent, quæ ipſi odiſſent, ma-
,, xime cum non deeſſet probabilis
,, ratio, quæ, id ut crederent, ſua
,, deret. Ita Philaſtrius Brixienſis
,, Epiſcopus, quæ ipſe non probabat,
,, in hæreſeon cenſum, veluti a pu-
,, blica Chriſtianorum fide aliena,
,, retulit. Nam & hæretici fuerunt,
,, qui Pauli Epiſtolam ad Hebræos
,, non Pauli, ſed aut Barnabæ Apo-
,, ſtoli, aut Clementis Romæ Epiſ-
,, copi eſſe dicunt. Huc quoque per-
,, tinet, quod (*a*) Hieronymus te-
,, ſtatur, Chriſti Eccleſiam credidiſ-
,, ſe, animam humanam immedia-
,, te a Deo creari, cum eam in cor-
,, pus infundit. Atqui de eo am-
,, bigit Auguſtinus, quin & palam
,, propendet in adverſam ſententi-
,, am. Sed Hieronymus commotio-
,, re in Ruffinum animo ſententiam,
,, in qua pleroſque eſſe videbat
,, ejus temporis Doctores, a tota
,, Chriſti Eccleſia receptam facile
,, ſibi perſuaderi paſſus eſt: id ve-
,, ro aliis adeo non perſuaſit, ut
,, annis poſt ejus mortem amplius
,, quadrigentis Prudentius Tricaſſi-
,, nus Epiſcopus ſcripſerit, (*b*) *utrum*
,, *anima de anima, ut caro de car-*
,, *ne, naſcatur, magna quæſtio eſt a*
,, *Patribus diu, multumque diſcuſſa,*
,, *ſed abſque definitione relicta*. Ex
,, eodem fonte manavit Joannis Theſ-
,, ſalonicenſis Epiſcopi error dicen-
,, tis, (*c*) *Eccleſiam cenſere, Ange-*
,, *los non omnino eſſe incorporeos, &*
,, *inviſibiles*: nec minus tamen a ſe-
,, ptima Synodo magni factus eſt
,, auctor ille, immo inter Patres ci-
,, tatus. ,,

Quam multa aberrante cenſore in anteceſſum collecta ſunt de oſtenden-dendorum dogmatum genere! Quam multa falſo aſſeverata ſine propria, ac certa rerum, de quibus agimus, nota! Quam multa irrita! nam per errorem labitur, dum de priori Teſtium veterum genere dubitat, iſtoſque in eo errare potuiſſe contendit, quod ea, quæ in Eccleſia credebantur, ac gerebantur, narrarint, ac ſciverint, quæ fuerit ipſius Eccleſiæ doctrina de Fide: ſcire autem, quæ fuerit illa doctrina, ad purum factum, in quo Patres errare potuerint, pertinere, falſo aſſeverat: nam univerſale jus fidei a puro quidem, & ſingulari facto ſecernitur: ſed factum connexum cum ipſo Fidei jure, quamvis particulare, tamen jus ipſum Fidei, a quo præſcindi non poteſt, includit: ſic ſcire, quæ fuerit Eccleſiæ & Patrum doctrina de Filio Dei, factum eſt cum jure Fidei, qua idem verus Deus Patri conſubſtantialis creditur, certo connexum: in quo agnoſcendo, & credendo priſci Patres errare non potuerunt: neque illam, quam ipſi certe tenebant, Eccleſiæ fidem eſſe finxerunt. Si enim vel errare, vel arte falli potuiſſent: eorum teſtificationem uti certiſſimam Nicæna Synodus non attuliſſet: quæ tamen cum *Patrum teſtimoniis freta* illud dogma, quod ſæpe expoſuimus, definierit; aliæque laudatæ Synodi Generales Patrum auctoritatibus definitiones ſuas evicerint: plane ſequitur, ut & ſcire, quæ fuerit Eccleſiæ doctrina de fide, non ad ſimplex factum, quo falli aliqui potuerunt, ſed ad factum

con-

(a) *Hier. Ep. 61. de Error. Joan.*
[b] *Prud. lib. de Prædeſtin.*

(c) *Syn. VII. act. V.*

conjunctum cum ea Fide, in qua Sanctorum Patrum major, aut maxima pars errare nequiit, dubio procul ſpectaret: quos pleroſque Patres Sanctos in adhibenda Fidei doctrina ſemper indeficientes fuiſſe, ex eo *evidenter agnoſcitur*, quod conſentientia ipſorum *teſtimonia* commendatæ Synodi Œcumenicæ, & SS. Athanaſius, ac Leo Magnus ita *adlegarunt*, ut *Fidei* dogmata ipſorum *teſtimoniis* comprobarint; quæ proinde ſunt inerrantia, & abſolute vera, hoc eſt, omni falſitate, & errore carentia; cum veram *Patrum Fidem*, atque indeficientem, cui *Orthodoxi credunt*, exibeant; quam orthodoxam veritatem Dallæus reliquit, dum Patrum teſtimonia, quæ hi de Fide Catholica perhibent, abſolute vera non eſſe, ac non admittenda contendit; in quo is idcirco erravit; quia eadem plerorumque veterum teſtimonia a Synodis Generalibus ad veram *Fidem*, quæ ſingulis Eccleſiæ ſæculis ſervata eſt, oſtendendam data fuere, atque adeo abſolute vera credita ſunt; ob quam rem illa ut ſimpliciter vera ad Catholicorum dogmatum probationem afferenda ſunt, & admittenda.

Hinc quidem Dallæus per errorem dubitat de illo priori Teſtium genere, quo nimirum plerique Patres conſentientes creduntur certi Fidei teſtes, qui ſine dubio ea, quæ ab Eccleſia credebantur, reapſe ſciverunt, immo quid de *Hæreſibus deſtruendis ſenſerit*, *Eccleſiis prædicarunt*. Ob idque duo Teſtium, & Doctorum loca in quorumdam Eccleſiæ Doctorum *ſcriptis*, quæ S. Leo *adlegavit*, ſecernenda non ſunt, neque unum illud genus diſtingui debet ab altero. Etenim ipſi Patres Fidem, qua *hæreſes deſtruebantur*, Eccleſiis *prædicarunt*; atque prædicando, ac docendo fidem ipſam teſtati, Fidei Doctores iidem fuerunt ac Teſtes; unde neque in fide, neque in facto connexo cum jure falli potuerunt, nec reapſe plerique ipſi Patres a vero aberrarunt.

Hiſce perſpectis, priuſquam de S. Philaſtrio agamus, ex Scriptoribus Eccleſiaſticis antiquiſſimis oſtendendum eſt, S. Pauli Epiſtolam ad Hæbræos eſſe ipſius Apoſtoli prolem.

Primum Euſebius (*a*) Divinas novi Teſtamenti ſcripturas ita recenſet: „ Primo igitur collocanda eſt ſacra „ Evangeliorum quadriga, quam deinde conſequuntur Actus Apoſtolorum. Poſt hos numerandæ ſunt „ Pauli Epiſtolæ. „

Euſebius quoque hæc ſcribit de Clemente Alexandrino: „(*b*) Idem in „ libris ὑποτυπωσεων omnium, ut uno „ verbo dicam, utriuſque Teſtamenti ſcripturarum compendioſam inſtituit enarrationem, ne illis quidem prætermiſſis, de quibus inter „ multos ambigitur ... Epiſtolam „ autem ad Hæbræos Pauli quidem „ eſſe affirmat, ſed Hebraico ſermone, utpote ad Hebræos primum ſcriptam fuiſſe: Lucam vero eandem græco ſermone ſtudioſe interpretatum, Græcis hominibus edidiſſe. „

Euſebium etiam adlegat Theodoretus, dum adverſus Arianos illam Epiſtolam Pauli eſſe fætum ſic probat: (*c*) Nihil faciunt admirandum

(a) *Euſ. lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 25. pag. 104.*
[b] *Euſ. lib. VI. Hiſt. Eccl. cap. 14. pag. 219.*

(c) *Theod. in pag. Epiſt. ad Hebr. Tom 2. Edit. Col. p. 178.*

„ dum, qui morbo Arrianico laborant, ſi adverſus litteras Apoſtolicas furant, & Epiſtolam ad Hebræos a reliquis ſeparent, & eam adulterinam appellent. Qui enim adverſus Deum & ſervatorem noſtrum linguas movent, quid non auſi fuerint adverſus ejus benevolos & grandiloquos veritatis præcones! ipſius enim Domini vox eſt, ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur. Oportebat autem ipſos, etſi nihil aliud, temporis quidem diuturnitatem revereri, quo hanc Epiſtolam in Eccleſiis perpetuo legerunt alumni veritatis... Euſebio quidem certe oportebat eos Palæſtino credere, quem Patronum ſuorum decretornm appellant. Dum is etiam diviniſſimi Pauli hanc eſſe Epiſtolam confeſſus eſt. „

S. Hieronymus ubi Melchiſedech non Spiritum Sanctum, neque Angelum, ſed merum hominem fuiſſe ex pleriſque Patribus demonſtravit: tum de eodem Melchiſedecho ait „ (*a*) plenius eſſe tractatum in Epiſtolam ad Hebræos, quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum. „

S. Auguſtinus Sacrarum Scripturarum Canonem deſcripſit hoc modo, tenebit igitur hunc modum in ſcripturis Canonicis, ut eas „ (*b*) quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt: ... Totus autem canon ſcripturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus, his libris contine-

„ tur: Quinque Moyſeos ... Novi autem quatuor libris Evangelii ſecundum Mathæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Joannem: quatuordecim Epiſtolis Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duabus, ad Coloſſenſes, ad Thimotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbræos. „

Denique S. Philaſtrius de eadem Epiſtola ita tractavit: „ Sunt alii quoque, qui Epiſtolam Pauli ad Hebræos non aſſerunt eſſe (*c*) ipſius, ſed dicunt aut Barnabæ eſſe Apoſtoli, aut Clementis de urbe Roma Epiſcopi. Alii autem Lucæ Evangeliſtæ ajunt: Epiſtolam etiam ad Laodicenſes ſcriptam. Et quia addiderunt in ea quædam non bene ſentientes, inde non legitur in Eccleſia; & ſi legitur a quibuſdam, non tamen in Eccleſia legitur populo, niſi tredecim Epiſtolæ ipſius, & ad Hebræos interdum. Et in ea quia ſcripſit ſermone plauſibili; inde non putant eſſe epiſtolam Apoſtoli. „

Quæ eſt igitur illa Dallæi argutatio? Nam ex hiſce omnibus conſtat, ſacram Epiſtolam ad Hebræos S. Pauli Apoſtoli eſſe fœtum, ac S. Philaſtrium nihil finxiſſe.

Certe Clemens Alexandrinus Apoſtolorum temporibus proximus *affirmat, Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe, & Hebræo ſermone ad Hæbræos primum ſcriptam* fuiſſe; quam Clementis aſſertionem cum Euſebius poſt al-

[a] *S. Hier. Epiſt. 73. ad Evang. pag. 440. Tom. 1.*

[b] *S. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 8. pag. 23. T. 3.*

(c) *I Phil. in lib. de Hær. cap. 89.*

latas *S. Pauli* Epiſtolas diſerte exhibuerit: profecto eandem Epiſtolam a *Paulo* Hebraice *ſcriptam* eſſe, cum eodem Clemente faſſus eſt, ſive *affirmavit*: quin etiam controverſias nonnullorum diremſit, qui ante Sacrarum Scripturarum Canonem a S. Innocentio I. Pontifice Maximo conditum, in quo is (*a*) *quatuordecim Pauli Epiſtolas* recenſuit, de eadem Epiſtola ob græcam interpretationem, quæ vel Barnabæ Apoſtoli, vel Clementis I. Romani Epiſcopi eſſe eis videbatur, dubitabant; quam dubitationem Euſebius evulſit, dum ſcripſit, quod *S. Lucas* Evangeliſta *eandem* Epiſtolam *græco ſermone interpretatus*, *Græcis* illam ediderit, referente Clemente. Quapropter plerique veteres, nimirum *omnes Græci*, & *nonnulli Latinorum*; atque etiam S. Auguſtinus, & Innocentius I., *Epiſtolam ad Hebræos* ut S. *Pauli* Apoſtoli prolem *recipiunt*.

Jam vero Dallæi errorem iidem plerique veteres auferunt, qui, ut fidei dogmata propugnarent, non alicujus particularis & propriæ ſententiæ, aut probabilis rationis ſtudio tenebantur, ſed ab erroribus atque a falſis ſententiis abhorrebant: qua ratione inductis Eccleſiæ Catholicæ doctrinam adhibebant ac non adeo putabant, Eccleſiæ Maximam partem ab iis, quæ Dallæus comminiſcitur, abhorruiſſe. Nam illa Apoſtoli Pauli ad Hebræos Epiſtola, & ab *omnibus Græcis*, & ab *omnibus Eccleſiis*, ſive a maxima parte earum, quas a *quibuſdam* aliis Auguſtinus diſtinguit, *accepta* fuit, & credita. Non igitur plerique Patres defendendis Fidei dogmatibus alicujus particularis ſententiæ ſtudia adhibuerunt; neque arcano animi motu in eam ſententiam, in qua Eccleſiam eſſe fingerent, inclinarunt: ſed a fictionibus, falſitatibus, & erroribus palam averſi, ac fidei rationem non probabilem, ſed certam, qua Catholica dogmata credebantur, habentes; communiorem Eccleſiæ ſententiam attulerunt.

Atque ut uno verbo omnia complectar: Cenſor errando, & fingendo, dicit, quod Patres aliquam particularem ſententiam, cujus ſtudio occulto tenebantur, & ab alia aliqua diſcedebant, Eccleſiæ ſenſum eſſe exiſtimarint; iſtamque ab iis, quæ ipſi ſpeciatim odiſſent, abhorruiſſe confinxerint. Ficta iſthæc ſunt, atque falſa. Plerique enim veteres, quorum ratio hic habenda eſt, vel falſas aliquorum opiniones, vel errores coarguerunt & probabiles nonnullorum ſententias cuique erudito manifeſtas a certa doctrina Catholica ſecreverunt, odio remoto: ideoque aliquos ſcriptores, non univerſam Eccleſiam, in quadam probabili ſententia fuiſſe patefacientes, Eccleſiam ipſam ab iis, quæ probabilia viderentur, abhorruiſſe non confinxerunt, neve fingendo narrarunt. Sic Auguſtinus in ſuperioribus obſervationibus laudatus *Catholicam regulam* a probabilibus & *melioribus* quorundam dictis aperte diſtinxit, itaque ut veriſimilia, vel etiam *veriora* non odit, ſed commendavit: ac proinde eadem probabilia nonnullorum dicta eſſe certiſſimæ Catholicæ regulæ pronuntiata non arbitratus; tamen Eccleſiam ab illis probabilibus dictis averſam fuiſſe commen-

(a) *Vide eum Canonem in*

mentus non eſt. Commentitia igitur ſunt, quæ Dallæus obtrudit.

Verum ut ad propoſitum redeam: profecto magnus Auguſtinus publicam plerarumque *omnium Eccleſiarum Catholicarum* ſententiam ad probandum ſacrarum ſcripturarum *Canonem*, in quo *S. Pauli Epiſtola ad Hebræos* erat, adduxit.

S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, eidem Auguſtino coævus indigitavit, dum de eadem Epiſtola habuit ſermonem; quo *alios* falſe opinantes *alios* errantes, ſecrevit: ac priores eos eſſe voluit, qui eandem Epiſtolam, antequam canon ille conditus eſſet, non Paulo, ſed vel Barnabæ, vel Clementi Romano aſſerebant; quæ quidem nonnullorum opinio falſa erat, quia plerisque veteribus, qui illam Paulo Apoſtolo adſcripſerunt, opponebatur: nec tamen ei opinioni, uti a Dallæo falſe ſupponitur, hereſis notam Philaſtrius inuſſit; quippe qui illos falſo opinantes *alios* ab *aliis non bene ſentientibus* expreſſe diſtinxerit. Non igitur is omnia, quæ ipſe non probabat, in hæreſum cenſum retulit; neque eos, qui illam Epiſtolam aut Barnabæ, aut clementi falſe attribuebant, in hæreticis numeravit: ſed dumtaxat voluit, eos *alios* poſteriores, qui nothæ Epiſtolæ ad Laodicenos quædam aliena a Chriſtianorum fide addiderunt, ſimulque Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe non putarunt, *non bene ſenſiſſe*: quoniam *Eccleſia* Catholica ipſam Epiſtolam ad Hebræos Pauli Apoſtoli eſſe credidit, ideoque eam publice *legit*. Quare Theodoretus *Arianos* hæreticos *furere* propterea narravit; quia iſti eandem Epiſtolam *adulterinam* eſſe effutiebant contra *alumnos veritatis*, qui ipſam *in Eccleſiis perpetuo legerunt*.

Cum itaque Philaſtrius alia hæreſum cenſui tribueret; alia in falſarum, & errantium opinionum numero duceret: tum illos, qui omnes Pſalmos, ſive (*a*) maximam eorum partem Davidi minime attribuebant, erraſſe eo innuit, quod ſacræ litteræ, ac Patres pleroſque Pſalmos ipſi Davidi adſcribant. Præterea bene adſtituit, illos, qui ſtellas *Dei juſſu*, & *diſpoſitione in veſperum procedere* inficiabantur, (*b*) errore neutiquam caruiſſe: qui error cum manifeſtus ſit, inde S. Philaſtri documenta (*c*) Dallæus perperam carpit.

Venio autem ad aliam Quæſtionem de humanarum animarum origine; de qua S. Hieronymus contra Origenis hæreſim, qua humanas animas ante corpora creatas, atque e cælo lapſas, & in corpora detruſas eſſe aſſerebat, ita ratiocinatus eſt: „ (*d*) Hoc nunc interrogo: anima iſta, „ Dei conditio, liberi arbitrii, rationalis, neque de ſubſtantia Creatoris, quando facta ſit: utrum eo „ tempore, quo de limo factus eſt „ homo, & (*d*) inſufflatum eſt ſpiraculum vitæ in faciem ejus; an quæ „ prius fuerat, & inter rationabiles „ & incorporeas, & inviſibiles creatu-

(a) Ut S. Auguſtinus Eccleſiarum omnium nomine maximam earum partem intellexit: ita Philaſtrius Pſalmorum omnium nomine eorum maximam partem accepit

(b) *Phil. Hær* 82.

(c) *Dal. loc. cit.*

[d] *S. Hier. Epiſt. ad. Pam. de error. Joan.*

(e) *Hieroſ. ſive in Lib. cont. Johan. Jeroſol. pag. 427. Tom. II.*

,, turas multo jam tempore verſaba-
,, tur. Nihil horum loqueris: pro-
,, ducis nobis Manichæum, & ab-
,, ſcondis Origenem: & ſicut par-
,, vulis cibum poſcentibus ludicra
,, quædam offerunt gerulæ, ut avo-
,, cent mentes eorum, ſic tu nos ru-
,, ſticos avocas ad alia, ut dum al-
,, terius perſonæ novitate tenemur,
,, quod volumus, non quæramus...
,, Cain, & Abel primi ex primis
,, hominibus unde habuere animas?
,, omne deinceps humanum genus
,, quibus animarum cenſetur exor-
,, diis. Utrum ex traduce juxta bru-
,, ta animalia, ut quomodo corpus
,, e corpore, ſic anima generetur ex
,, anima! an rationabiles creaturæ
,, deſiderio corporum ad terras de-
,, lapſæ, noviſſime etiam humanis
,, illigatæ ſint corporibus? an certe,
,, quod Eccleſiaſticum eſt, ſecundum
,, eloquia Salvatoris, Pater uſque mo-
,, do operatur, & ego operor, &
,, illud Zachariæ, qui format ſpiri-
,, tum hominis in ipſo, & in Pſal-
,, mis, qui fingit per ſingulos corda
,, eorum, Deus quotidie fabricetur
,, animas, cujus velle feciſſe eſt,
,, & conditor eſse non ceſſat. ,,

Idem Hieronymus adverſus Ruſ-
finum Origeni addictum de ea re hæc
ſcripſit. ,, (*a*) Animarum & Corpo-
,, rum Conditorem fatetur Dominum
,, ſive animæ ante corpora fuerint,
,, ſive cum corporum naſcantur exor-
,, diis, ſive jam formatis in utero,
,, figuratiſque corporibus immittan-
,, tur, in omnibus novimus auctorem
,, Dominum. Nec de hoc nunc Quæ-
,, ſtio eſt, utrum Deus, an alius eas
,, fecerit, ſed e tribus, quas poſuit,
,, quæ eſt illarum ſententia vera,
,, neſcire ſe dicit. Vide, ne ſtatim
,, tibi objiciatur, idcirco te trium
,, ignorantiam confiteri, ne unum
,, damnare cogaris: & Tertulliano,
,, & Lactantio ideo parcere, ne Orige-
,, nem cum illis jugules ... & mi-
,, raris, ſi contra te Fratrum ſcan-
,, dala concitentur, cum id neſcire
,, te jures, quod Chriſti Eccleſiæ
,, ſe noſſe fateantur. ,,

Demum S. Auguſtinus illam ani-
marum originem, de qua antea du-
bitaverat, rurſus ſuis Retractationi-
bus in hoc judicium vocavit: (*b*)
,, Alio loco de animo cum agerem,
,, dixi, *ſecurior rediturus in cælum*.
,, Iturus autem, quam rediturus,
,, dixiſſem ſecurius propter eos, qui
,, putant, animos humanos pro me-
,, ritis peccatorum ſuorum de Cælo
,, lapſos, ſive delectos in corpora
,, iſta detrudi. Sed hoc propterea
,, non dubitavi dicere, quia ita dixi,
,, *in Cælum*, tanquam dicerem, ad
,, Deum, qui ejus eſt auctor. & con-
,, ditor, ſicut beatus (*c*) Cyprianus
,, non cunctatus eſt dicere. Nam cum
,, corpus e terra, ſpiritum poſſidea-
,, mus e Cælo: ipſi terra, & Cœ-
,, lum ſumus; & in libro Eccleſia-
,, ſtæ ſcriptum eſt, *ſpiritus reverta-
,, tur ad Deum, qui dedit illum*.
,, Quod utique ſic intelligendum eſt,
,, ut non reſiſtatur Apoſtolo dicen-
,, ti, nondum natos nihil egiſſe bo-
,, ni, aut mali. Sine controverſia ergo
,, quædam originalis regio beatitu-
,, dinis animi Deus ipſe eſt, qui
,, eum non quidem de ſeipſo genuit,
,, ſed de nulla re alia condidit, ſi-
,, cut condidit corpus e terra. Nam
quod

(*a*) *S. Hier. lib. 2 cont. Ruff pag. 499. T. 2.*
(*b*) *S. Aug. lib. 1. cap. 1. pag. 4. T. 1.*
(*c*) *S. Cyp. de Orat. Dom.*

Digitized by Google

„ quod attinet ad ejus originem, „ qua ſit, ut ſit in corpore, utrum „ de illo uno ſit, qui primum creatus eſt, quando factus eſt homo „ in animam vivam; an ſimiliter „ ita fiant ſingulis ſinguli, nec tum „ ſciebam, nec adhuc ſcio. „

Ergo Dallæus S. Hieronymo falſe tribuit, quod is in Ruffinum valde commotus, de humanarum animarum origine, qua videlicet ſingulæ omnium hominum animæ a ſolo Deo creantur, contenderet: quæ contentio Hieronymo affingitur, utpote qui aperte dixerit, *nec de hoc nunc quæſtio eſt*, *utrum Deus*, *an alius eas feceris*: e quo clare apparet, quod Dallæus quæſtiones confundit, ut S. Hieronymum commotiore animo in Ruffinum fuiſſe effutiat: quem quidem animum S. Doctor non habuit, ſed Origenis hæreſim, quam Ruffinus ſe *neſcire* ſimulabat, auferre ſtuduit. Nam Origenes errando aſſeruit, humanas *animas ante corpora fuiſſe*. *Hoc unum* Hieronymus in Queſtionem vocabat: hoc unum hæreticum eſſe, patebat: *hoc unum damnare cogebatur* Ruffinus; *contra* quem *Fratrum ſcandala* juſte *concitabantur*, *cum id ſe neſcire juraret*, *quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fatebantur*. Quam proinde ſententiam, in qua plerique antiquiores fuerunt, à tota Eccleſia receptam eſſe, Hieronymus adeo defendit, ut falſi aliquid ſibi perſuderi non paſſus, illius hæreſis damnationem, eamque quæſtionum diſtinctionem, quas Dallæus intuitus non eſt, ſuaſerit Fidelibus univerſis.

Tum is ut animas ante corpora non fuiſſe probaret: eas figuratis in utero corporibus a Deo creari, ex ſacris ſcripturis oſtendit; idque effatum *Eccleſiaſticum* eſſe conſcripſit, haud damnata S. Auguſtini dubitatione; qui demum non de abſoluta origine animæ pro ut hæc a ſolo Deo creatur; ſed de ea, *qua ſit*, *ut ſit in corpore*, ambegit; quam du„ bitandi rationem Prudentius Tricaſſinus non ſatis expoſuit. Unde Auguſtinus e ſacris litteris, exque *S. Cypriano* enuntiavit quod e cœlo ita *animum poſſidemus*, ut *Deus ſit ejus auctor*, & *conditor*, qui illum *de nulla re alia*, ac non adeo de Traduce, *condidit*; quod ex Sanctis Scripturis, & ex Patribus dogma *Eccleſiaſticum* eſt atque Catholicum.

Tandem cenſor (*a*) Angelos profert; quos tamen incorporeos eſſe patet ex S. Scripturis, ex Origene, ac SS. Gregorio Nyſſeno, Baſilio Magno, Joanne Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, Leone, & Gregorio Magno, ex aliiſque veteribus.

Hos ſeptimum generale Concilium ſecutum eſt in ſua Fidei confeſſione, cujus partem ſic allego: „ (*b*) Sancta Synodus legente Eutymio Epiſ„ copo Sardis pronuntiavit ſubter ad„ nexa .. Pretioſas, & venerabiles „ Iconas, ut prædictum eſt, hono„ ramus ... Sanctorum etiam, & „ ἀσωμάτων incorporalium Angelo„ rum: ut homines enim Juſtis ap„ paruerunt. „

Quare cum eadem in Synodo Joannis Theſſalonicenſis Epiſcopi verba, quæ in ſermone contra Ethnicum fecerat, quibuſque Sanctorum Angelo-

(a) *Orig. lib. 6. cont. Cel. Nyſſ. Orat. 34. Baſil. lib. 4. cont. eun. Chryſſ. lib. 1. ad Stag. Hier. Ep. ad Avit. Aug. enar. in Pſal. 103. Leo Ep. ad Thur. Greg. lib. 4. Mor. c. 9.*

(b) *Concil. vii. act. iv. pag. 967. T. 8. Conc.*

lorum imagines pingendas voluerat, prolata eſſent: ſtatim Tharaſius Conſtantinopolitanus Præſul dixit: (a) „ Oſtendit vero Pater, quod & Angelos oporteat pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & veluti homines apparuerunt multis. „

Ex hiſce liquido apparet, quod ſeptima Synodus Joannis dictum non ex aliis partibus vel falſis, vel ſub obſcuris, ſed tantum ex ea parte, quæ adductæ Confeſſioni reſponderat, approbarit. Qua in approbatione non incluſit eam partem, in qua Joannes dicebat, *Eccleſiam docere, Angelos non eſſe omnino incorporeos*, eoſque *aerea corpora* habere: quæ pars cum Synodi Confeſſioni, qua hæc *Angelos incorporeos pronuntiavit*, contraria eſſet: tum ipſa Synodus in illa adprobatione hanc minime incluſit; ac propterea falſum, & erroneum, utpote ſuæ Confeſſioni oppoſitum illud dictum e ſuis adprobantibus verbis excluſum voluit, ac non adeo comprobavit. Quare Joannem uti *Patrem* eo dumtaxat laudavit, magnique fecit, quia is *oſtendit Angelos pingi oportere, quoniam velut homines multis apparuerunt*: *Apparentia* igitur corpora ab Angelis aſſumpta fuiſſe, ac non ita iſtos illis vel ſubtilibus aereis conſtare corporibus, idque Joannem illum *oſtendiſſe*, Tharaſius probavit, Synodo conſentiente. Unde aliquot veteres, quos ibi Joannes adlegat, voluerunt, apparentia etherea corpora ab Angelis aſſumi poſſe, non autem hos illis vere præditos eſſe: quippe quos *incorporeos Spiritus* eſſe, Sacræ litteræ, plerique Patres, Synodus ſeptima, Concilium Lateranenſe IV., atque Eccleſia Catholica, perpetuo tradiderunt.

Itaque in Epilogo pro defendendis Catholicis dogmatibus dicimus, plerorumque Patrum inſtituta generalia, & particularia, quibus Eccleſiæ fidem, & Sacramenta ex profeſſo tuiti ſunt, quæque clara eſſe vicimus, capienda eſſe; eorumque auctoritates afferendas; quæ ad Dallæi, aliorumque Hæreticorum errores coarguendos, ad Orthodoxa dogmata propugnanda, ad ipſamque Catholicam Eccleſiam celebrandam, maxime valent.

(a) *Idem Concil. act. v. pag. 1006.*

QUÆDAM OBSERVATIONES

Obſervatio prior *Pro pag. 55. & 56.*

Dei Filius non diverſitate ſubſtantiæ, ſed propriarum Divinarum Perſonarum diſtinctione alius eſt a Patre. *Portionem* autem Tertullianus impropria locutione ſic accipit, ut *portionem* ipſam improprius loquendi modus, quo is Scriptor utitur, tantum reſpiciat, ſalvis *Trium* Divinarum Perſonarum proprietatibus, ac ſalva Unitate Eſſentiæ Divinæ, quæ in *Tribus* diſtinctis Perſonis Una, Indiviſa, atque Eadem eſt. Unde idem Tertullianus adverſus Praxeam ſignificat, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum *Tres* proprias Perſonas *diſtinctas* eſſe & *unum Deum*.

Obſervatio altera *Pro pag. 141. col. ſecunda lin. 40.*

S. Auguſtinus contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos attulit Patrum teſtimonia, hiſque illorum errores coarguit, & peccatum Originale, ac Supernam Dei Gratiam, præſertim prævenientem, credenda propoſuit.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGENDA.

PAg. 1. col. 2. lin. 12. ratiocinemus *leg.* ratiocinemur. p. 2. col. 1. lin. 18. aigumenti *leg.* argumentis p. 5. col. 1. lin. 36. clares *leg.* clare. p. 7. col. 2. lin. 20. dixerit *leg.* direxit. p. 11. col. 2. lin. 15. Magiſtram *leg.* Magiſtrum. p. 23. col. 2. lin. 19. at *leg.* ac. p. 26. col. 2. lin. 6. promitis *leg.* promptis. p. 27. col. 1. lin 10. quempe *leg.* quemque. p. 30. col. 1. lin. 23. craſla *leg.* craſſa. p. 30. col. 1. lin. 42. Selecuiæ *leg* Seleuciæ. Ibid. col. 2. lin. 24. prætertim *leg.* præſertim. p. 31. col. 2. lin. 24. auctoritatem *lee.* auctoritatem. Ibid. lin. 26. oſferendas *leg.* offerendas. p. 32. col. 1. lin. 5 in iis illo *leg.* in illo. Ibid. lin. 13. adlegari *leg.* adlegati. Ibid col. 2. lin. 34. argutio *leg.* argutatio. p 34. col. 1. lin. 30. movet *leg.* movent. Ibid. col. 2. lin. 3. auctorinate *lee.* auctoritate. Ibid. lin. 31. condemnasſe *leg.* condemnaſſe. p. 35. col. 1. lin. 18. Prælulibus *leg.* Præſulibus. Ibid. lin 26 veterit *lee.* verterit Ibid. col. 2. lin. 17. conſubſtanrialis *leg.* conſubſtantialis. Ibid. lin. 18. idem *leg.* iidem. p 36. col. 2. lin. 23. nulla *leg.* nullas. p. 37. col. 2 lin. 34. tranſtul *leg.* trenſtulit. p. 39. col. 2. lin. 20. obletionis *leg* obletiones. Ibid. lin. 15. oſu parſi *leg.* uſurperit. p. 42. col. 2. lin. 25. in gignendis caſo *leg.* in gignendi caſu. Ibid lin. 29. & ſeqq. μο *leg.* ὑπ. p. 43. col. 1. lin. 35. patres *leg.* pares. Ibid. lin. 36. Epiſopos *leg.* Epiſcopos. p. 44. col. 1. lin. 11. veſtras *leg* veſtra. Ibid. quoniam modo *leg.* quonam modo. Ibid. lin. 37. Juſcorum *leg.* Tuſcorum. p. 45. col. 2. lin. 7. rerum *leg.* reum. p. 46. col. 2. lin. 16. judicum *leg.* judiciom. Ibid lin. 18. addimento *leg.* additemeoto. Ibid. lin. 12. ſic *leg* ſit. Ibid. lin. 13. aſſertiu *leg.* aſſertio. Ibid. lin. 26. terminandum *leg.* terminandam. p 47. col 1. lin. 11. exerpſerunt *leg.* excerpſerunt. p 48. col. 1. lin. 9. Profeſſione *leg.* Proceſſione. Ibid. col. 2 lin. 11. adiuncta, claram *leg.* adiuncte fuit, & claram. p. 49. col. 1. lin. 17. alluta *leg.* aſſuta. p 52. col. 1. lin. 13. Melchiledeh *leg.* Melchiſedech. Ibid col. 2. lin. 15. ſoluta *leg.* ſolutu. p. 53. col. 1. lin. 3. gloriam *leg.* gloria. p 55. col. 2. lin. 27. diſtinſtione *leg.* diſtinctione. Ibid. lin. ult. nec diverſiate *leg.* nec naturæ diverſitate. p. 57. col. 1. lin. 13. conſubſtanttalis *leg.* conſubſtantialis. Ibid. lin. 33. Paulom *leg.* Paulum. Ibid. lin. 36. conſeripſerit *leg.* conſcripſerit Ibid. lin 37. conſnbſtantialem *leg.* conſubſtantialem. Ibid. col. 2. lin. 9. reliquias *leg* reliquas. Ibid. lin 11. citantes *leg.* vitantes. p. 58 col. 1 lin 8. indiviſſe *lee.* induiſſe. Ibid. col. 1. lin. 9 Perri *leg.* Patri, Ibid. lin. 24. enodatione *leg* enodationem. p. 60. col 2 lin 28. cretas *leg.* creatas. Ibid. lin. 35. lectionem *leg* ſectionem. p. 63. col 2. lin. 3. juſtia *leg.* juſtitia. p. 64. col. 2. lin. 19 conſiitur *leg.* conficitur. p. 63. col. 1 lin. 4. manus *leg.* magnus. Ibid. col. 2. lin. 44. quoniam *leg.* quoniam. p. 66. col 2. lin. 12. pon *leg.* non. p 67. col. 1. lin 12. verſatos *lee.* verſatus. Ibid. lin. 29 pe ſecta *leg* perſpecta. p. 69. col 1. lin 7. in priora *leg.* priori. p 75. col. 1. lin. 33. fuerint *leg.* fuerit. p. 78. col. 1. lin 19. offerunt *leg.* afferunt. Ibid. lin. 34. erudionis *leg.* eruditionis. p. 80 col. 1. lin. 16. ei *leg.* ii. Ibid. col. 2 lin 30. inoffenſos *leg.* inoffenſo. p. 82. col. 2. lin. 4. diceodo *leg.* dicendo. p. 84. col 1. lin. 19. lectionem *leg.* ſectionem. Ibid. col. 2. lin 31. ſeoſorem *leg.* cenſorem. Ibid. lin. 35. damnavit *leg.* damnarit. p 85. col. 1. lin. 14. diſcerti *leg.* diſerti. Ibid lin. 15. elucleandis *leg.* enucleandis Ibid lin. 41 genus *leg.* genus. p. 86. col. 2. lin. 33 lationem *leg.* latiorem. p 87 col. 1. lin. 19. laudate *leg.* laudare. p. 88. col 1. lin 33. illas *leg.* illis. p. 90. col. 1. lin 36 pudicitiem *lee* pudicitiam. Ibid. lin 43. illis *leg.* illis. Ibid. col. 2. lin. 2. nuptia *leg.* nuptias p 91. col. 1. lin. 28 ab ſtudium *leg.* ad ſtudium. Ibid. lin 44 Epiſtola *leg* Epiſtola p 92. col 1. lin. 9. Epiſtola *leg.* Epiſtolam. p. 93. col. 1. lin. 21. extrordinariæ *leg.* extraordinariæ. p 94. col. 1. lin. 45. produtis *leg.* productis. p. 95. col. 1. lin. ult. improbalitatem *leg.* improbitatem. Ibid. col. 2. lin 11. condictum *leg.* conditum. Ibid. lin. 18 induesit Agricola *leg.* induerit: Agricola. p. 96 col. 1. lin. 34. libidine terqueri *leg* libidinem torqueri. p. 97. col 2. lin 23 Sactis *leg* Sanctis. p. 98. col. 1 lin. 13 non putavit! *leg.* non putavit? Ibid. col. 2. lin. 19. Genadii Negligentiæ *leg* Genadii negligentiæ. Ibid. lin 25. unamue *leg.* unamque. p. 99 col. 1. lin 23. a *leg* ac. p. 103. col. 1. lin. 4 profferemus *leg* proferemus. Ibid. lin. 23. eviocendorum eſſe *leg.* evincendorum medium eſſe. Ibid col 2. lin. 17 differendi *leg.* diſſerendi. p. 108. col. 2. lin. 24 docnmento *leg* documenta p. 109. col 1 lin 8. negaverior *leg.* negaverit. Ibid. col 2. lin 3 accederint *leg* accederit. Ibid lin 10. quos vereraut *leg* quos everterant. p. 110 col. 2 lin. 36. operierunt *leg* operferunt. p. 111 col. 2. lin. 25. diait *leg* dixi. p 113. col 2. lin 13. ſuperſtire. pnitentiam *leg.* ſuperſtite pœnitentiam Ibid. lin 14 ſuſtuleris *leg* ſuſtulerit. p. 114. col. 1. lin. 33. io quorum te *leg.* in quorum tn. Ibid lin 36 Antiſtes *leg.* Antiſtites. p 117. col 1. lin 18. videtur *leg.* videntur. Ibid lin 40. negaverint *leg* negaverit. Ibid. col. 2 lin 17 chriſtianis *leg* chriſtiane. p. 118. col 1. lin. 12 ad *leg.* ab. Ibid lin 17. ereditur intelligat *leg* creditur, intelligat. Ibid. col. 2. lin. 7. indobiom *leg.* in dubium. p 120. col 2. lin 14. unumquoque *leg* onumquodqoe. Ibid col. 2. lin. 23. etem *leg.* eſt enim. p 121. col 2 lin. 17. poretat *leg* poterat. p. 122. col 1. lin. 11. liberaris *leg.* libertatis. p. 123. col. 2. lin. 31. arbitretur-de *leg.* arbitratur de p. 124. col. 1. lin. 28. hæreſim *leg.* hæreſim. p. 128. col 2. lin. 7 ad novæ *leg* ac novæ p. 129 col. 1. lin. 18. Algeruchiem *leg.* ad Geruchiam. p. 132. col 1. lin 2 omnio *leg.* omnia. Ibid. col. 1 lin 11 die *leg.* de. p 134. col. 2 lin. 2. ramen *leg* tamen. p. 137. col. 1. lin. 4. ſeparare *leg.* ſeparatæ p 138. col. 1. lin. 27. nequam *leg.* nequaquam. p. 141. col. 1. lin. 13. Fratribus *leg.* fratribus. Ibid. col. 2. lin. 40. credenda propoſuit *leg.* & illas credendas propoſuit. p. 143. col. 1. lin. 31. facet *leg.* tacet. p. 147. col. 1. lin. 20. erorum *leg.* horum. p. 148 col 1. lin. 15. Antioquoque *leg.* Antiocoque. Ibid. lin. 21. ferre *leg.* fere. Ibid. lin. ult. continentem *leg.* coocinentem.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005673996

Digitized by Google